

B. M. II, 124. 468, 8 (X 188 3853)

f. 30, 8.



I.

SCRIPTUM DIRECTO-
RIO IMPERII

in Comitibus Ratisbonensibus nomine

CHRISTIANISSIMI
GALLIARUM
REGIS


à

Domino Plenipotentiaro de Gravel,

die 25. Maji 1667. exhibitum.

V.7.





Sacri Romani Imperii Electorum, Principum, ac Statuum Reverendissimi, Excellentissimi ac Amplissimi Domini Legati, Consilarii & Deputati, Domini honoratissimi.



Jussit Rex Christianissimus, Dominus meus omnium Clementissimus, ut literas, quas dedit ad Sacri Romani Imperii Electores, Principes & Status, quorum Domini Legati hisce in Comitibus vices gerunt, Ipsis extraderem, Iisque etiam exhiberem Scriptum, quod componi atque in lucem edi curavit, unaque literas ad Reginam Hispaniæ à Se scriptas, quibus toti Christianitati manifestum esse voluit, Se id consilii, quod Reginae & Serenissimi Delphini Jura vindicandi gratiâ suscepit, justissimis de causis secutum esse. Quapropter Sacra Sua Regia Majestas, (quod Ipsamet in supradictis suis literis indicat) tantum de æquanimitate & fide (tit.) Dominorum Principalium in observandis Tractatibus Westphalicis Sibi pollicetur, ut minimè dubitet, Eos non solum hanc suam sententiam approbaturus, quâ unicum illud medium, quod Sibi supererat, ut justum & æquum Sibi toties denegatum obtineret, arripere coacta fuit: Sed etiam omnem in observanda Pace Monasteriensi adhibituros operam, impediturosque, ne hâc occasione cum omnium altissimè memoratæ Regiæ Suæ Majestatis præjudicio violetur, quod notoriè fieret, si Imperii Ordines, Copiis iis, quas Principes ex rationibus ab Imperio planè sejunctis & alienis contra Eam in Belgium mittere vellent, transitum essent concessuri, aut dictis Principibus quocunque tandem sub prætextu hac in re opitularentur. Quàm incerti exitus res sit & quàm Imperii rationibus periculosa hujusmodi
transitus

transitus & subsidiorum concessio, tametsi quidem nullâ id lege prohiberetur, Domini Vestri Principales pro singulari sua prudentia facilè judicare possunt. Non autem latet Dominos Legatos unâ ex principalioribus Instrumenti Pacis conditionibus quoad Regem Christianissimum satis apertè satisque luculenter cautum esse, quòd, si quid in futurum oriretur dissidii inter Gallia & Hispania Regna, vigore reciproca illius & perpetua obligationis, inter modò dictum Regnum Gallia & Sacrum Romanum Imperium, nullum auxilium, transitus, aliudve subsidium suis invicem hostibus concedere & largiri nec velle nec debere.

Quæ conditio tam justa, tam æqua tantique momenti ad conservandam Germaniæ Pacem & securitatem videbatur, ut Status Imperii, non attentis omnibus & singulis rationibus, quibus Hispania Administrum hanc invertere conabantur, cum in eo jam esset Tractatus, ut Monasterii concluderetur, eam omninò necessariam duxerint, prudentissimèque judicârint, tranquillitatem Patriæ suæ subsistere vix posse, nisi clarissimis & apertissimis ac planè iis verbis conciperetur, quibus inserta est Art. 3. ejusdem Tractatus, *Et ut eò sincerior &c.*

Protestationes, quas iidem Administrum & potissimùm ratione Circuli Burgundici tum opposuerunt, manifestè satis declarant, dictum Articulum à consiliis propriisque eorum rationibus planè alienum, vehementer ipsos perturbare: Perspiciebant enim, dictum Circulum Burgundicum neque bellis inter Gallia & Hispania Regna eo tempore vertentibus, neque in iis controversiis in posterum inter eadem Regna, confectâ etiam pace, oriuris pro Circulo Imperii habitum iri.

Quale Scriptum ex parte Burgundica ante annos aliquot hisce in Comitibus communicatum fuerit, & quid ad id responsi dederim, ut præfati Scripti absurditas in lucem exponeretur, erunt procul dubio, qui adhuc meminerint: Quando autem & Scriptum hoc & Responsum fortassis non in universum Dominis Legatis innotuit, sæpius nominatum Responsum, in quo etiam omnes dicti Scripti objectiones comprehenduntur, hic adjungendum

4
dum esse duxi. Scriptor quidem Burgundicus hanc primò adfert rationem.

Circulum Burgundicum uti indubitatum Imperii Membrum comprehendere debere sub protectione & defensione Sacri Romani Imperii adversus quoscunq; aggressores & invasores, liquet ex transactione Augustana 1548, ubi Imperator & Imperium promittunt, Provincias Burgundicas futuras semper sub protectione, custodia, conservatione & auxilio Imperatorum & Regum Romanorum & Sacri Romani Imperii, Easq; fruituras libertatibus & juribus ejusdem, & sicut alios Principes, Status & Membra Imperii defendendas, conservandas, fovendas & fideliter juvandas.

Judicet, quæso, cordatus unusquisque, si hæc ratio locum invenire deberet, quid in toto Tractatus Monasteriensis Instrumento superfuturum sit, in quo firmiter pedem figere, aut certitudinem securitatemque quisquam sibi promittere possit, aut num maxima conditionum pars, quæ in dicto Instrumento continetur, possit subsistere, si ad normam & regulam antiquarum transactionum in Imperii Recessibus contentarum eadem applicari & examinari deberent. Profectò, si hoc faciendum esset, iis tricis & difficultatibus hic Pacis Tractatus implicaretur, ex quibus extricare se vix unquam quis posset.

Idem igitur Author non vult, ut persuasum sit, Monasteriensis Pacis Tractatum legem esse perpetuam & pragmaticam Imperii sanctionem ejusdem roboris & virtutis, ac alias Imperii fundamentales constitutiones. Nec ut animum advertam ad Articulum 117^{um} ejusdem Tractatus, quo expressè constitutum est, ne admittantur, in ejusdem præjudicium, ullæ exceptiones sub quocunque demum titulo, prætextu aut colore eæ inveniri & in medium adduci possent.

Certum quidem est, per Monasteriensis Pacis Tractatum non aboleri omnes eos Recessus, transactiones, leges & constitutiones Imperii, quæ eundem præcessere, quarum econtra major in eo pars confirmatur & stabilitur; attamen in dubium revocari nequit, quin ob gravissimas considerationes bonum publicum & Imperii securitatem concernentes, & ad extinguendum

dum belli incendium, quod tot jam annis in Imperio grassabatur, Paciscentes fuerint coacti derogare pluribus in rebus, quibusdam punctis & articulis, qui in præcedentibus Imperii Recessibus continentur, quin etiam novas quasdam leges tulerint, eaque jecerint fundamenta, quibus ii, qui dictæ Pacis participes sunt, in futurum insistere deberent.

Si quis jam vellet asserere, Burgundicum Circulum frui & gaudere debere omnibus iis privilegiis, quæ ad eundem spectare dicuntur, & continuare in iisdem abusibus, per quos tot Statibus Imperii ejusdem Circuli vicinis tantum est, hucusque allatum præjudicii propter Bullam Brabantinam præteritis temporibus eidem concessam, indeque inferre, nullam esse Articuli 67^{mi} Instrumenti Pacis (quo expressis terminis cautum est, ut abusus ejusdem Bullæ deinceps penitus tollerentur) habendam rationem, omnibus sano judicio præditis considerandum relinquitur, quid sibi sit pollicendum de ea Pacificatione tam solenni, quæ hodiernâ die ut lex Imperii fundamentalis respicienda est.

Nihil hîc attinet, multos alios Instrumenti Pacis articulos non minoris, quàm is, de quo locuti sumus, momenti enumerare, quibus tamen aliis conventionibus antehac factis, per Tractatum Pacis Monasteriensis, derogatum esse liquidò constat.

Quibus ita positis, certum est, multos Pace Monasteriensi comprehensos habituros, quod jure meritò opponerent, si in eadem Pace quidquam jam immutandum esset, aut ejusdem articulos sinistrè & contra genuinum sensum interpretari, eorundemque opinioni & judicio adaptare liceret, quibus dictum Pacis Tractatum nunquam arrisisse notum est.

Secundum Authoris argumentum est: *Circulus Burgundicus sit maneatque Membrum Imperii post controversias inter Galliam & Hispaniam sopitas, hâc Pacificatione comprehensus.*

Verum est, hanc Clausulam Articulo 3. Monasteriensis Tractatus insertam esse, quòdque asseratur, Burgundiæ Circulum esse & manere debere Imperii Membrum, postquam lites inter Galliam & Hispaniam fuerint sopitæ.

Nec animus est Christianissimi Galliarum Regis nomine,

ut minimum huic rei obicem ponere, dummodo hæc inclusio
iis fiat conditionibus, quæ tam ratione Christianissimæ Regiæ
Majestatis, quàm cæterorum Imperii Electorum, Principum &
Statuum eidem Circulo vicinorum, requiruntur, quibus profectò
permagni interest, ne dicta inclusio in suum fiat præjudicium.

Scient verò Idem Electores, Principes & Status vicini ejus-
dem Circuli sua heic proponere gravamina, nec justas, quas ha-
bent, querimoniam causas in medium afferre intermitterent, si hæc
inclusio purè simpliciterque facienda esset, & absque iis præcau-
tionibus, quibus munitos eos esse oportet, nisi iisdem velint in fu-
turum vexationibus subjacere, quas hucusque ab eodem Circulo
perpeffi sunt.

Quantum ad Sacram Christianissimam Regiam Majesta-
tem, non ita obiter Ipsa cognoscit sinceram intentionem & æqui-
tatis studium, quo Sacri Romani Imperii Status ad Pacis conser-
vationem feruntur, ut Sibi persuadere velit, quòd in dictam Cir-
culi Burgundici inclusionem consensuri seseque obligaturi sint,
ad suam eidem Circulo garantiam contra Suam Majestatem præ-
standam, postquam solenniter claris & expressis terminis id se
non esse facturos per eam Clausulam promiserunt, quæ alteram
ratione dicti Burgundici Circuli allegatam immediatè subsequi-
tur, iisque terminis constat, qui hic adscribuntur.

*In futurum verò si inter ea Regna controver-
sia oriantur, firma semper maneat inter Univer-
sum Imperium & Reges Regnumque Gallia de mu-
tuis hostibus non juvandis supradictæ reciproca ob-
ligationis necessitas.*

Scripti Author de hac Clausula ita differit: *Sed à quibus-
dam in dubium revocatur, an non excipiatur ab ea obligatione
Imperii Rex Christianissimus, si contingat Eum denuò bello aggredi
Provincias Belgicas, propter hanc periodum insertam Art. 3. ejus-
dem Pacis Monasteriensis.*

Non revocatur in dubium Christianissimi Regis nomine,
quòd

quòd Gallia sit & excepta esse debeat ab hac Imperii obligatione, & certum est, idem futurum & singulorum & universorum Imperii Statuum iudicium & sententiam, si candidè & absque affectu rectum sensum & verborum dictæ Clausulæ energiam ponderare & librare velint, quæ quidem Clausula talis est, ut nec clarior nec contrariis interpretationibus minùs esse possit obnoxia.

Nec immorandum est in eo, quod dictus Author ad contorquendum hujus Clausulæ sensum aut sinistram de sinceris Christianissimæ Regiæ Majestatis intentionibus opinionem concitandam hæc verba adjunxerit: *Si contingat Eum denuò bello aggredi Provincias Belgicas &c.* Quasi Ludovicus XIII^m gloriosissimæ memoriæ præteritis temporibus, solo armorum studio aut belli cupidine Burgundiæ Circulum aggressus esset. Ferant hac de re sententiam ii omnes, quibus belli inter utrasque Coronas incepti causæ & momenta non ignota sunt; cui tandem finem imponere Divinæ Majestati perplacuit, aspirante in eum finem cœlesti gratiâ, intervenientibusque pacificis & generosissimis Sux Regiæ Christianissimæ Majestatis dispositionibus, prout id apprimè sciunt Imperii Electores (clariùsque quidam ex iis) uti & ceteri Imperii Principes & Status cognoscunt, quibus talia ignota esse non potuerunt. Aut quasi Christianissima Regia Majestas in animo haberet eundem Circulum denuò armis aggredi & invadere, ad quod hæc quidem vice nil mihi respondendum esse videtur. Satis enim in Imperio notum est, quænam sit vera & constans Sacræ Sux Majestatis intentio, quâ curâ, sollicitudine, & quàm exactè hucusque ea omnia observârit, quæ non tantùm in Instrumento Pacis Monasteriensis, verùm etiam in Tractatu Pyrenæorum montium continentur, aut si vel minimam suspicandi ansam præbuerit (in quo persuadendo supradicti Scripti Author non parum laborat) quòd à salutaribus & pacificis consiliis, quibus ab eo tempore, quod Regni sui clavum tenet, feliciter semper institit, recedere constitutum haberet. Verius est & audacter dici potest, paucissimos fuisse in hoc Mundo Monarchas, qui suo Imperio, viribus & potentia tam intra, quàm extra suorum Regnorum limites, eâ generositate, justitiâ & modera-
tione

tionem usi sint, quâ id facit Christianissimus Galliarum Rex in florentissimo eo statu, in quo Divinae providentiæ Suæ Majestatis Regnum collocare visum fuit.

Non etiam veritur in quæstione, utrum si Gallia ab Hispanis invaderetur, aut si Ipsa vice versâ, ad se suaque jura vindicanda & conservanda, Hispaniam aggredieretur. Partes enim Paciscentes nequaquam è re esse judicârunt, hujus puncti odiosâ discussionem se se onerare, ideòque purè & simpliciter in eadem Clausula ponere maluerunt: *Si inter ea Regna controversia oriantur &c.* ut scilicet se non immiscerent ejusmodi materiæ, in qua ambæ Partes rationem pro se militare, semper judicabunt, & in qua difficillimum & lubricum foret suum judicium & opinionem interponere.

Quid igitur de dicta Clausula? *Circulus Burgundicus &c.* deque altera? *In futurum verò &c.* sentiendum est, nisi quòd Partes Paciscentes voluerint statuerintque, Burgundiæ Circulum esse & permanere debere Imperii Membrum, vigore primæ Clausulæ, ita tamen, ut dictum Imperium nullam eidem præstare possit nec teneatur garantiam contra Galliam, (si contingeret inter Eandem & Hispaniam lites exoriri) vigore reciprocae obligationis, inter Regnum Gallia, Imperium & Reges, quâ se se invicem obstrinxerunt ad mutuos hostes non juvandos, prout id per secundam Clausulam expressè compromissum est.

Id quod prudenter sanè conclusum statutumque fuit, eoque modo provisum, ne dictum Imperium novis turbis & motibus exponeretur, si dicti Burgundiæ Circuli causam in se suscipere voluissent in iis controversiis, quæ inter potentissimos hosce Reges exoriri potuissent, nisi dicta Clausula, *In futurum verò &c.* Pacis Tractatui inserta fuisset.

Ut nihil dicam, quòd Imperii Ordines hâc eadem Clausulâ Christianissimæ Suæ Regiæ Majestati testificari voluerint, æquum esse, ut in vicem ejus protectionis & insignium auxiliorum, quæ Imperium ad suæ libertatis & privilegiorum conservationem ab
ea Co-

ea Corona acceperat, nec non pro ea cura, vigilantia & sollicitudine, quâ Sua Christianissima Regia Majestas intervenientibus Regni Sueciæ etiam, aliorumque Fœderatorum & amicorum officiis semper excubuit, ut huic Imperio sua tandem quies & tranquillitas redderetur; ut communis securitatis & gratitudinis causâ hoc amicitia & unionis vinculum inter Galliam & Imperium, nec non reciproca hostibus non assistendi obligatio firma in futurum & inconcussa permaneret & duraret.

Supereft jam, ut sex Objectionibus respondeatur, quas ejusdem Scripti Author solidissimas & immensi ponderis esse arbitratur, quibus etiam ceu cuneo quodam allegatam sæpius Clausulam: *In futurum verò &c.* se se prostraturum nequicquam dubitat.

Primò igitur dicit: *Quia omnia, quæ dicuntur de non juvandis hostibus Regis Christianissimi, temperantur hæc exceptione & parenthesi, quæ præmittitur & sequentia omnia regit: Salvo assècurationis Articulo infra descripto. Iste verò Articulus non alius est, quàm 117^{us}. ubi de Circulorum defensione & mutuis auxiliis agitur, atque ita sensus totius periodi est, non posse juvari hostes Christianissimi Regis, sed salvâ ante omnia obligatione strictiore. De Circulorum mutua conservatione, ut nimirum horum primatio habeatur, si bellum adversus aliquem eorum ingruat, si verò talem hostem habeat Gallia, cui nihil commune cum Imperio sit, eum nefas sit armis Cesaris juvari.*

Videndum igitur est, num tantum momenti & roboris habeat hæc prima Objectio, quam ejusdem Author totam fundat in exceptione Articuli tertii, cujus verba sunt: *Salvo assècurationis Articulo infra descripto &c.* Cujus Articuli vera & propria interpretatio hæc est, quòd omnes Pace Monasteriensi comprehensi, ei teneantur assistere, qui contra eandem Pacem quoquo modo invadetur, prout id expressissimè in eo paragrapho continetur, qui incipit: *Qui verò huic transactioni consilio vel ope contravenerit &c.*

Circulus Burgundiæ in eo Articulo comprehendi nequit respectu

B

spectu

spectu Christianissimi Regis, quandoquidem ejusdem nulla in eodem fit mentio: Id quod tamen nec oblivioni datum nec omissum fuisset, si partium paciscentium aut transigentium voluntas fuisset, ut dictus Circulus eidem securitatis Articulo includi deberet, maximè cum expressis terminis in tertio ejusdè Tractatus Articulo posita sint sequentia verba: *Si inter ea Regna controversiæ oriantur, firma semper maneat inter universum Imperium & Reges Regnumque Gallie de mutuis hostibus non juvandis supradictæ reciproce obligationis necessitas &c.* Id quod de omnibus quidem Gallie Regni hostibus de Hispanis autem præcipuè ut & de Circulo Burgundico intelligendum est; cum illa Clausula immediatè subsequatur hæc verba: *Bellis tamen in eo (Circulo Burgundico) jam vertentibus, nec Imperator nec ullus Imperii Status se se immisceat: Ex quo alius non potest elici sensus & significatio, nisi quòd tam in eo bello, quod tunc inter utramque Coronam vigeat, quàm in controversiis, quæ inter eas secuturis temporibus exoriri possent, Imperium Romanum fidem suam obstrinxerit ad nullas suppetias hostibus Christianissimi Regis (qui tunc erant Hispani) ferendas præbendasque, nec ad id faciendum in futurum, si post factam inter utrumque Regem pacem, eadem pax dissolveretur & rumperetur.*

In quibus omnibus bene est animadvertendum, quòd in toto illo Tractatu nulla facta sit expressa Burgundici Circuli exceptio, quòdque securitatis Articulus, de quo Author noster loquitur, de instantum intelligendus sit, qui Pacis Monasteriensis Tractatui contravenerint, id quod à Sua Christianissima Regia Majestate tam procul abest, ut faciat, ut eundem contra quoscunque contravenientes tueri semper & conservare parata sit, cujus Suae laudabilissimæ intentionis fatis clara hucusque & evidentia argumenta subministravit.

Quis etiam dubitat, si pax inter Gallie & Hispanie Coronas
rumpe-

rum peretur, quin Hispani iis etiam viribus mediisque contra Gallia Regnum usuri sint, quæ Burgundicus Circulus iisdem suppeditat, rationi igitur consonum est, ut Imperii Ordines potio-rem hujus Circuli quàm reliquarum Hispaniæ Provinciarum ratio- nem non habuerint, & per consequens suam eidem garantiam æquè parùm ac aliis Catholici Regis ditionibus, contra Christianissimum Galliarum Regem non promiserint.

Accedit, quòd si dictus securitatis Articulus locum invenire debeat, id fieri tamen non possit respectu Circuli Burgundici contra & in præjudicium ad minimum Christianissimi Regis, nec exhiberi potest ullum verbum in eodem Articulo, cujus vi & valore dictus Burgundiæ Circulus hanc sibi securitatem & garantiam, polliceri possit, utpote qui cum cæteris Romani Imperii Circulis nihil habet commune in iis dissidiis, quæ inter ambas Gallia & Hispaniæ Coronas exoriri possunt.

Is ipse, de quo loquor, securitatis Articulus Instrumento Pacis insertus est ob eum tantùm finem, ut omnes contraventiones, quibus dicto Pacis Tractatui adversum iri posset, è medio tollerentur, iisque hoc modo obviam iretur; non autem ad reliquos ejusdem Tractatus Articulos claros & evidentes infringendos aut annullandos.

Quapropter Authoris nostri prætenso nullum inde non tantùm robur adipiscitur aut fulcimentum, sed econtra per eundem Articulum invalida redditur & enervatur: Etenim si ea, quam dicto Articulo dare vult, explicatio admittenda esset, nihil quasi certi, solidi aut stabilis in toto Monasteriensis Pacis Tractatu relinqueretur, qui cum sit, & esse debeat perpetua lex & sanctio pragmatica Imperii, hâc interpretandi ratione, in numerarum dis- sensionum, litium, & divisionis scopulus efficeretur.

Verùm ad secundam Objectionem gradum faciam, quæ talis est: *Ex Capitulatione Casarea Leopoldi Imperatoris Art. 3. idē ostenditur, quòd non alia obligatio Casarea Majestati imponatur, quàm ne Corona Gallia presentibus ac futuris exteris hostibus auxilia præstentur? Quod dicitur, exteris hostibus auxilia non præstanda, significat, alios esse hostes Corona Gallia, quibus licitum erit auxilia*

præstare, scilicet, qui non sunt exteri Imperio, sed ejusdem Membra, quales sunt omnes Circuli & nominatim etiam Circulus Burgundicus.

Ad hanc Objectionem ita respondendum videtur, quòd Capitulatio Cæsarea ne minimum quidem afferre possit præjudicium iis omnibus, quæ in Tractatu Pacis Monasteriensis conclusa & statuta fuere. Nec ea fuit Dominorum Electorum in constituenda Cæsarea Capitulatione intentio, ut per eandem conditiones Instrumento Pacis comprehensas labefactatum irent.

Perlubenter assentior Christianissimi Galliarum Regis nomine, quòd Imperator in majus robur dictæ Pacis, & ut vinculo legis adderetur vinculum promissionis, Coronæ Gallicæ præsentibus ac futuris exteris hostibus, sub ullo colore aut prætextu, vel quavis controversia aut belli causa, contra dictam Coronam, nulla arma, opes, milites, comitatum aut alia proficua subministrabit. Ex quibus verò nil aliud inferri potest, nisi quòd, cum Ferdinandus III^{us} haud contemnenda subsidia hostibus Christianissimi Regis, contra tenorem Instrumenti Pacis Monasteriensis submisisset, modernus Imperator in sua Capitulatione jurejurando promiserit, se nec præsentibus nec futuris Gallia hostibus similes suppetias unquam esse laturum.

Quandoquidem etiam dicta Cæsarea Capitulatio nihil in se debeat continere, quod Pacis Monasteriensis Tractatui non sit conforme, necesse est, ut hæc verba: *futuris exteris hostibus*, ad nil aliud quàm ad eam Clausulam, quæ tam claris terminis in eodem Tractatu posita est, referantur, cujus formalia sunt: *In futurum verò si inter ea Regna controversia oriantur, &c.*

Etiam si verò in dicta Capitulatione alios etiam hostes, præter eos, quibus cum Gallia Regno bellum tunc intercedebat, quis intelligere potuisset, indubitatum tamen est, quòd in suprà allegatis Cæsareæ Capitulationis verbis Hispani potissimum indigitati fuerint, qui respectu Coronæ Gallia sunt, eruntque exteri Imperio, etiam quoad Circulum Burgundicum, donec Monasteriensis Pacis Tractatus in suo vigore valoreque permanebit.

Tertia

Tertia Objectio nihilo plus habet virium, quàm præcedentes, dicit enim Author: *Intellectus ille resultat ex naturali ratione & recta interpretatione, nam qui promisit, se auxilia non daturum contra aliquem, non intelligitur pactus esse contra seipsum aut contra membra sua. Nemo etiam sic se obligat, ut se suaque ei tueri non liceat. Proinde non potest obligatio Imperii, de qua agitur, sic accipi, ut non liceat Imperio adjuvare Membra aut Circulos suos, si eos invadat Rex Christianissimus.*

Quid ex iis verbis *contra seipsum* intelligendum sit, nec non, an Imperator & Imperium cum Circulo Burgundico unum quid omninò esse debeant, animadvertent Imperii Ordinis. Non cogitat idem Author, neque Imperatorem neque Imperium in bellis inter utramque Coronam tempore Pacis conclusæ vertentibus immiscere se, ut ipse in sexta sua Objectione fatetur, debuisse; & idcirco contra seipsum eo casu secundum Authoris sensum pactum fuisse Imperatorem: Quidni igitur, si in futurum novæ (quas avertat Deus) controversiæ orientur, iisdem pactis & vinculo tenebitur? cùm in utroque casu par sit ratio ejusdemque obligationis necessitas.

Non videtur rationi naturali ita dissentaneum esse, nec cum vera interpretatione pugnare, ut corpus quoddam politicum, pluribus compositum membris, à cæterorum unione id abscindat separetque, quod sibi parum aut nihil affert utilitatis, quodq; cùm nullam in se derivet substantiam, oneri potiùs quàm emolumento sibi esse animadvertit. Hoc scilicet modo Circulus Burgundicus Imperii Membrum hucusque fuisse dicendus est. Hæc etiam ratione videntur esse permoti Imperii Status, ad denegandam Circulo Burgundico suam garantiam contra id Regnum, à quo non tantùm tot & tanta, ad suæ libertatis conservationem, auxilia subsidiaque in se profecta esse cognoscebant, verùm etiam à quo nihil non auxilii & adjumenti in futurum, aut cùm res ita tulerint, sibi possunt promittere & certò polliceri.

Quarta, quæ fit, Objectio hæc est: *Circulum Burgundicum comprehendendi sub Pacificatione Monasteriensi, post controversias inter utramque Coronam compositas, cum quo consistere non potest, ut*

liceat Regi Christianissimo eundem Circulum invadere, & non liceat Imperio eundem tueri. Cùm non aliud sit Pacificatione comprehendendi, quàm consortem esse Pacis & iisdem commodis ac effectibus frui, quibus alia membra fruuntur, inter quæ & illud est, quod Articulo dictæ Pacis 124^o statuitur. Uno consorte læso, alios omnes junctis consiliis viribusque arma sumere debere ad repellendam injuriam.

Jam dictum est, Christianissimi Regis nomine nequaquam contradici, quò minus Burgundicus Circulus Monasteriensi Pacificatione comprehendatur, post pacem inter ambas Gallia & Hispaniæ Coronas sancitam, & postquam publicis protestationibus Regis Catholici nomine, contra Pacem Monasteriensem factis ejusdem quoque nomine solenniter renunciatum fuerit. Verùm ex hoc inferri nequit, quòd Status Imperii eidem garantiam præstare possint contra Gallia Regnum, quia se id non facturos expressis terminis per eam Clausulam, quæ alteram immediatè subsequitur, se se obstrinxerunt. Negari etiam non potest, quin ambæ supradictæ Clausulæ se se invicem compatiantur, nec ullo modo sibi repugnent, si dictus Burgundiæ Circulus omnibus Pacis commodis & effectibus & utilitatibus gaudeat & perfruatur omnium cæterorum intuitu, uno Gallia Regno excepto, cùm Imperii Ordines sanctè & solenniter promiserint, se ejusdem hostibus nullum auxilium aut garantiam præstare & exhibere velle.

Ut paucis verbis ad 5^{am} Objectionem respondeam, quæ talis est: (consideranda est Clausula) *Si inter ea Regna controversiæ oriantur &c. non posse juvari hostes Christianissimi Regis, qui casus eò propriè pertinet, cùm inter ipsa Regna Hispanicum & Gallicum, sive apud Pyrenæos montes, sive in Italia bellum geritur: Non si à Rege Christianissimo Circulus Burgundicus, qui Membrum est Imperii, impetatur.*

Dicendum videtur, quòd Clausula superiùs allegata nullam faciat earum Provinciarum distinctionem aut differentiam, quæ ad Hispaniæ Regem pertinent. Quòdque obligatio reciproca, quam

quam Imperator & Galliae Regnum & Imperium stipulata sunt, de non juvandis hinc & inde hostibus, ad omnia singulaq; ea loca & ditiones extendatur, quæ ad dictos hostes spectare possunt.

Sexta tandem Objectio talis est: *Capitulatio Casarea novissima art. 13. & 14. imponit obligationem Suae Majestati Casarea de non immiscendo se bellis in Circulo Burgundico vertentibus; sed clarissimis verbis id restringit ad bella tempore pacis existentia & adhuc durantia, tempore scilicet ejusdem Capitulationis. Quorsum verò pertinebat hæc limitatio, si generalis obligatio Casari erat imposita, per Pacem Monasteriensem, non ferendi opem contra Regem Christianissimum etiam in exorituris postea bellis.*

Jam supra dictum est in eo Responso, quod ad secundam Objecti- onem factum est, quod nulli Monasteriensis Pacis Articulo, Clausulae aut conditioni, per Casaream Capitulationem vel minimum de- rogatum sit, econtra verò Imperator per 13^{um} Suae Capitulationis Articulum expressis terminis se se obligat, ad observanda invio- labiliter ea omnia, quæ per Instrumentum Pacis Monasteriensis tra- ctata conclusaque fuere inter Imperatorem Ferdinandum, Suum Patrem, Electores, Principes & Imperii Status ex una, cæterasque Partes compaciscentes ex altera parte: Cæterum temporis lucrati- di causam ad dictum secundæ Objectiõnis Responsum me remitto.

Coronidis loco id addendum videtur, quod conjectu facil- limum sit ex iis protestationibus, quæ à Deputatis Burgundici Cir- culi Monasterii, contra Pacem solemniissime ibidem conclusam, factæ & interpositæ sunt, quod tertius ejusdem Pacis Articulo: *Et ut eò sincerior &c.* & hæc in primis Clausula: *In futurum*

verò &c. in una dictarum protestationum allegata, verus esset offensionis scopulus, qui eos tantopere incitaret, maximumq; in- citamentum, cur dictas protestationes faciendas sibi esse existimâ- rint. In quarum una Deputatorum aliquis Johannes Guyermanns, posteaquam in hanc exclamationem prorupisset: *Abscissum esse Circulum Burgundicum tanquam putridum Membrum, aut cancro, nescio quo, confectum, à cæteris Imperii Membris usq; dum pax inter ambas Coronas iceretur: Paulò post adjungit: Et ut plures turpitu- dinis notæ eodem concurrerent, nihilq; à vobis intactum Stemmati*
Burgun-

Burgundico relinqueretur, Pacis vestra legibus omnem omnino Germanici subsidii spem Hispano nomini praeclusum iri constituistis. Id quod aliò quàm ad dictam Clausulam: In futurum verò &c. referri nequit, per quam dicto Circulo Burgundico omnis spes garantiæ ab Imperio contra Galliam obtinendæ adimitur, casu quo inter utramque Coronam controversiæ enascerentur. Etiam si verò supradictæ protestationes ante Pacis conclusionem obligationemq; factæ fuissent, nihilominus Partes Paciscentes nullâ earundem sibi habendam esse rationem censuerunt. Quapropter verissimum est & iteratò dicendum videtur, quòd supradicta Clausula contradictoriè Instrumento Pacis Monasteriensis inserta talis sit, ut evidentior fortiorque esse nequeat, nec minùs iis objectionibus exposita, quas hîc satis esse refutatas arbitror.

Regia Sua Christianissima Majestas omnes & singulas Tractatus Monasteriensis conditiones tam religiosè observavit, varioque rerum Imperii statu & temporibus tantam in hoc operam, curam & diligentiam posuit, ne quid contra dictum Tractatum susciperetur aut ageretur, ut eandem Sibi ab Imperio fidem & candorem jure merito promittat, eò magis quòd sciat à concordia & amicitia, quæ per dictum Pacis Instrumentum inter universum Imperium, Reges Regnumque Galliæ stabilitæ & ab eo tempore utrinque feliciter excultæ fuerunt mutua dependet securitas & tranquillitas.

Hæc omnia ut Dominis Legatis exponerem, eosque de Regia Sua benevolentia certiores redderem, injunxit mihi Rex Christianissimus, Dominus meus omnium Clementissimus. Actum Ratisbonæ die 25. Maji 1667.

*Reverendissimorum, Excellentissimorum ac Amplissimorum
Dnn. Legatorum, Consiliariorum & Deputatorum, De-
minorum honoratissimorum*

ad omnia officia paratissimus

ROBERTUS de GRAUEL, Regis Christianissimi Plenipotentarius.

II. RE-



II.
REFUTATIO
SCRIPTI GALLICI

contra

Circuli Burgundici securitatem
compositi.

H Allucinationes quorundam Legatorum, qui de securitate Belgicis Provinciis ex parte Imperii præstanda dubitabant, ansam representandi rationes aliquot in contrarium dederunt. Quibus deinde ex parte Legati Gallici responsum est, cujus Responsi diluendi nulla quidem foret necessitas, nisi indocti, rerum rudes & partium studiosi, subinde silentium pro victoria interpretarentur.

Totius Responsi summa, quam ipsis verbis representamus ex Artic. 4^{to}. hæc est. *Regis Christianissimi nomine nequaquam contradicitur, quò minus Circulus Burgundicus Monasteriensi Pace comprehendatur, & omnibus Pacis commodis, effectibus & utilitatibus gaudeat & perfruatur omnium ceterorum respectu, uno Gallia Regno excepto propter Clausulam Pacificatione Monasteriensi comprehensam, de non adjuvandis ab Imperio hostibus Regis Christianissimi.*

Nulla igitur difficultas movetur aut moveri potest de concedenda Circulo Burgundico generali defensione & securitate contra omnes ejus aggressores & invasores, sed tota quæstio in eo versatur, an à generali ista regula admittenda sit exceptio respectu Regis Christianissimi, quasi adversus eum nulla possit ei-

C

dem

dem Circulo defensio ab Imperio præstari, si ille Ditiones Burgundicas (quod D. E. U. S. avertat) bello aggredereetur. Hoc jus defensionis Burgundiæ, cum validè stabilitum & radicum esset, in vetustis pactis inter Imperium & Principes Burgundos initis anno 1548, quæ nomine Transactionis Burgundicæ communiter veniunt & sine discrimine contra omnes securitatem & auxilia Circulo Burgundico promittunt, ea in primis convellere atque è medio tollere Auctori studium fuit, idque eo colore ac prætextu, quasi adversentur ea pacta Capitulis Fœderis Monasteriensis, in cujus præjudicium nullam exceptionem admittendam esse, eique pacta omnia, quantumvis antiqua & specialia cedere debere, Auctor contendit.

Sed pugnare Transactionem Burgundicam cum Articulis Pacis Monasteriensis, nec simul posse consistere, non supponendum verum probandum erat, cum in eo cardo negotii versetur, quod tantum abest, ut præstitum sit, ut è contrario Circuli Burgundici jus ex variis Clausulis ejusdem Tractatus potissimum stabilatur.

Quid aliud sibi volunt hæc verba 3^{ti} Articuli ejusdem Pacificationis: *Circulus Burgundicus sit maneatq; Membrum Imperii hæc Pacificatione comprehensus &c.?* Si Circulus, si Membrum est Imperii, quomodo potest à corpore suo destitui? Portentum crudelitatis fuerit membra à corpore abdicari & dilanianda objici hostibus. Si Pacificatione comprehenditur, si affecurationis Articulus ante omnia salvus esse debet, quo continetur mutua Circulorum defensio, quomodo potest permissa esse aggressio Circuli Burgundici & vetita Imperii defensio? Additur eodem Articulo: *Bellis in eo jam vertentibus non se immisceat Imperator.* Cur dicitur, *jam vertentibus*, si etiam postea non liceat?

Hæc sigillatim atque in specie diluenda erant, non per generalia pronuntiata de firmitate & observatione Pacis Monasteriensis divagandum, quam nemo impugnat, sed ita facere & diverticula quærere amant, qui solidis argumentis destituuntur.

Unica

Unica periodus speciem aliquam habet in dicto Articulo 3^{to},
 quæ à me ultrò objecta nec dissimulata fuit : Verùm sex ratio-
 nibus sic enervata est, ut ipsæ languidæ Responsiones sat magnum
 argumentum infirmitatis sine ulla confutatione præbeant.

Dictat Articulo 3^{tius} : *In futurum verò si inter
 ea Regna controversia oriantur, firma semper ma-
 neat inter universum Imperium & Reges Re-
 gnumque Gallie de mutuis hostibus non juvandis
 supradictæ reciproce Obligationis necessitas.*

Hæc eodem actu & Instrumento cum prioribus Clausulis
 comprehensa, sine dubio inter se concilianda sunt : Optima verò
 conciliatio est, quæ tum ex visceribus ipsius pactionis, tum ex
 rebus postea gestis & Cæsareis Capitulationibus insertis, aliisque
 rectæ interpretationis regulis deducitur.

Ex visceribus Pacificationis illud adductum fuerat, quòd in-
 terdictio de non adjuvandis hostibus mutuis cum hoc tempera-
 mento & præcautione scripta foret, *ut salvus ante omnia mane-
 ret asssecurationis Articulo*, antequam quæ sequitur prohibitio
 ferendorum auxiliorum locum haberet.

Prima scilicet ratio habenda erat defensionis Circulorum,
 ex quibus corpus Imperii compingitur, priusquam de extraneis
 Regnis caveretur : Cui rationi & hoc additum fuit hæc Clausula:
Si inter ea Regna controversia oriantur, aliud designari quàm
 Circulum Burgundicum, cum ibidem separata fiat mentio Cir-
 culi & Regnorum, atque etiam diversa dispositio. Quid ad hæc
 Responsi Auctor? non aliud quàm eandem periodum suam, §^{ura}
In futurum verò &c. tanquam saxum Sisyphi perpetuò
 volvit, hoc est, principium petit, quodque de Circulorum asse-
 curatione seu mutua defensione statutum est, ad omnes Circulos
 pertinere dicit, excepto Burgundico, quod eadem facilitate re-
 jicitur, quâ adfertur, eò majore fundamento, quòd Articulo de
 asssecuratione generalibus terminis & sine limitatione conceptus

lit, adeoque non minus Burgundicum quam ceteros comprehendat.

Alia interpretatio in priore Scripto sumpta erat ex Capitulatione Cæsarea Leopoldina, ubi Articulo 13^{to} Imperator solum in hunc modum adstringitur.

In quantum Circulum Burgundicum & bellum in eo tunc tempore initæ Pacis existens & adhuc durans concernit, Westphalia Pacis Nos conformiter geremus. Deinde auxilia præbere non in totum, sed tantum exteris hostibus Coronæ Galliaë prohibetur, in quo numero cum Circulus Burgundicus, si hostis evaderet Galliaë, censeri non possit, qui, quia membrum est Imperii, *Exterus* dici non potest, rectè illatum fuit, hanc quoque mentem esse Foederis Monasteriensis, prout & ipsa verba satis expressim dicunt, *In bellis jam vertentibus in Belgio.*

Non aliud refugium hinc repertum est, quam Capitulationem Cæsaream eidem Pacis non potuisse derogare, supponens scilicet Auctor contrariam & pugnantem esse unam, cum alia, quod hætenus nec ab iis dictum est, qui Capitulationem quotidie omnibus machinis impugnant, non omisuri quoque hanc, si cum colore aliquo eâ uti possent.

Electores Imperii, Authores ejusdem Capitulationis, quibus mens Pacis Monasteriensis in recenti memoria erat, statim in limine contra Pacem impegisse, & hoc in oculis Regis Christianissimi id dissimulantis & tacentis, quis rerum præsentium vel tantillum peritus admiserit? Quòd si consentiat igitur Capitulatione Cæsarea cum Pacis Instrumento, uti necesse est fateri, & verba utrinque clamant, manet illæsa & sine solutione ratiocinatio & interpretatio, quæ ex Capitulatione deducta erat.

Per *Exteros hostes* Coronæ Galliaë, quos adjuvare non possit Imperium, designari vult Auctor Hispanos, quasi semper, & ubicunque gentium agant, Imperii respectu extranei sint, sive in Circulo Burgundico sive alibi rem gerant adversus Galliam.

Verùm hoc recipi nullatenus potest, ut in re, de qua agitur, alio

alio jure Circulus Burgundicus, si Hispanum Dominum habeat, alio, si Germanum, vetusta Transactio Burgundica & promissio perpetuæ defensionis in ipsam rem seu Circulum scripta est, non in nationem, quæ ad tempus illi præest, quicumque Circuli Burgundici Dominus sit, si invadatur alienis armis, ab Imperio defendendus est: Notum est, pacta publica, quæ de Regnis, de Provinciis ineuntur, non personalia sed realia esse, maximè si causam perpetuam habeant, uti in proposito inter Principatus magis, quàm inter personas aut genus nationis contrahitur in foederibus publicis; & licet expressum non foret de Successoribus obligandis, uti dilucidè factum est in Pactis Burgundicis, id tamen semper inesse intelligitur, cujuscunque demum Nationis sint, qui succedunt.

Non hîc etiam agitur de Hispano invadente Galliam, & colligente vires omnes, quas potest, etiam ex Circulo Burgundico adversus Galliam, uti ad conciliandum odium casus ex adverso proponitur, sed quæstio est de ope ferenda & defensione præstanda Circulo, qui ipse armis alienis impetitur, quo casu etiam citra omne pactum obligationem defendendi potentiori incumbere plerique Auctores sentiunt, atque adeò nemo eo casu dubitat, quo Vasallus ab extraneo aggressionem violentam patitur, quem constat à Domino directo, cujus fidei & clientelæ se commisit, protegendum esse, quod Nationi Germanicæ præ cæteris gentibus semper familiare fuisse, Paulus Jovius Lib. 23. Histor. observavit: Nemo verò nescit, potissimam partem Belgicarum ditionum nexu feudali Imperio obnoxiam & subjectam esse, & consequenter vel hoc solo titulo defendendum.

Subinde stomachatur Auctor Responsi, Circulum Burgundicum nominari Membrum Imperii. *Animadvertent*, inquit, *Ordines Imperii, an Imperator & Imperium unum quid omninò esse velint cum Circulo Burgundico, an sit fueritque Membrum Imperii, in verbis, Circulus Burgundicus sit maneatque Membrum Imperii.* Membra verò corpus suum constituere, atque adeò cum eo unum esse, nemo nisi rerum & literarum expers inficiabitur.

Non tantum pro Membro Imperii haberi debet atque habe-
tur Circulus Burgundicus, sed etiam pro Statu Imperii, quo no-
mine non nisi illustriora Membra, & quæ sessionem & votum in
Comitiis habent, indigitantur, ut Germanicarum rerum periti
sciunt. Sed hæc, quia in Logomachiam seu verborum contentio-
nem exire videntur, missa facienda sunt.

Vix etiam Replicâ dignum est, quod dicitur ex adverso posse
Imperium contra seipsum & contra Membra & Circulos suos
pacisci, quando quidem id reipsâ fecerit in Fœdere Monasteriensi,
rescindendo Circulum Burgundicum ab omni auxilio, quamdiu
bellum tum flagrans inter utramque Coronam duraret; unde
inferre nititur, non potuisse priore Scripto formari argumentum,
quod existimetur pacisci contra seipsum, nec consequenter Im-
perium contra Circulos suos, longè enim hæc duo diversa sunt,
dicere, eum, qui promittit non adjuvare hostes alterius, non præ-
sumi neque intelligi ex hoc generali sermone id promittere con-
tra seipsum, seu si ipse invadatur armis, & disertis & claris verbis
contra se se pacisci, quod postremum sine dubio licet & validè
fit, prius verò nititur regulis præsumptionis communis, & hunc
sensum habet, non existimari, non videri in dubio contra seipsum
pacisci, qui generalibus verbis utitur non adjuvandi hostem
alicujus.

Jam quid à proposito magis alienum potuit adferri, quàm
quod de abusibus Bullæ Brabantinæ obtorto collo huc adductum
est; scilicet *Circulum Burgundicum omni jure suo exui debere*; quia
Imperii quibusdam Civibus molestus fuit, per executiones in vim
Bullæ Brabantinæ factas.

Primum quid ad Coronam Gallicam, quod agat nostra Ger-
mania, & quibus finibus sinat inter vicinos jus dici? Numquid
Germania se interponit rebus Gallorum? quod iisdem verbis
olim Germanorum Rex Ariovistus Julio Cæsari, interponenti
se rebus Germanicis, respondit. Quod si conqueri pergant, qui
injuriam sibi illatam dicunt, edant gravamina sua cum facti cir-
cumstantiis, & doceant quæ dicunt, *tolletur abusus Bullæ Braban-
tinae*, uti Instrumentum Pacis dicat: Sed iniquum est contem-
dere,

dere, ut Bulla ipsa propterea aboleatur, hoc est, ut propter abusum
usus extirpetur. Sed hæc parerga & à proposito aliena omisisset
Auctor, si solidioribus certare potuisset.

Ultimum præsidium collocat Responsi Auctor in publicis
Protestationibus duabus, editis olim contra Pacificationem Mo-
nasteriensem, nomine Regis Catholici, quas ait sensum illum
supponere, quem intendit, scilicet abdicatum & rescisum esse
eâdem Pace Circulum Burgundicum ab auxiliis Germanicis in
perpetuum respectu Galliæ; atque ita tunc sensisse ipsos Ministros
Regis Catholici, Auctores dictarum protestationum: Sed inspi-
ciantur ipsæ nudæ protestationes, & liquidò apparebit, quàm non
Germanâ fide id asseveratum sit. Prior protestatio anno 1648 ita
concepta est: *Circulum Burgundicum comprehendere debuisse Paci-
ficatione Monasteriensi, non expectatâ Gallici belli compositione.* De
Paragrapho verò, qui incipit, *In futurum &c.* non alia que-
rela est quàm hæc. *Quòd detur adversa parti occasio ea verba ca-
piendi, ut pugnent adversus veterem Germaniæ libertatem &
antiquam Imperii observationem, adversus pacta publica jam me-
morata, quibus auxilia præstandi non modo facultas permissa, sed
Imperatori & Imperio necessitas est imposta.*

Altera Protestatio anno insequenti 1649 emissa, continet
non minùs dilucidè querelam eandem de Circulo Burgundico
*ad tempus abscisso & tamdiu remoto, dum inter Hispaniæ Gallia-
que Coronas pax iiciatur;* atque ad id tempus referri debet, quòd de
omni spe Germani subsidii Hispano nomini præclusa dicitur, sci-
licet dum adhuc bellum Gallicum perdurat, quandoquidem de
futuris bellis nulla omnino mentio eodem Instrumento indera-
tur, sed evenisse jam videmus, quòd prior protestans vaticinatus
erat, *occasionem datam esse adversa parti ea verba sic capiendi, ut
pugnent cum veteribus pactis*, id est, cum Transactione Bur-
gundica, sed bene est, quòd jus interpretandi publicas conven-
tiones uni parti soli non competat, nam cum ambiguus est in-
tellectus pactorum, jura omnia dicant, *contra Eum fatiendam
esse interpretationem, qui potuit legem apertius dicere.* Hoc est,
qui

qui conditiones obscuras clariùs potuit enuntiare, quod semper potentioris est, seu ejus, qui in sopiendo bello plus arbitrii habuit, quod res loquitur penes Christianissimum Regem tunc fuisse, non penes Regem Catholicum, cui durissima quæque eâdem Pace imposita sunt, quæ nunc rursùm durâ ac distortâ interpretatione exasperari & in immitiorem sensum flecti nulla ratio, nulla æquitas patitur.

Quòd si denique evicisset Responsi Auctor, quod tantopere contendit, contrariam esse Pacificationem Monasteriensem Burgundicæ Transactioni, nullum dubium foret, hanc uti publicam pactiõnem cum alia gente priùs initam, *non potuisse everti per tertios posteriùs in contrarium Paciscentes*. Res quippe inter alios acta aliis minimè præjudicat, neque potest alteri per alterum iniqua conditio inferri, uti Juris naturalis regulæ constanter dictant; posteriora quidem pacta, si contraria sint, derogant prioribus, inter easdem Partes initis, sed hanc vim non habent, quæ tertio ineuntur sine consensu prioris Paciscentis. Verùm huc descendere nihil necesse est, cùm omnis contrarietatis umbra antè discussa atque absterfa sit, & bene inter utrumque Instrumentum conveniat.

Hæc apud intelligentes & partium studiis non distractos sufficere poterunt omissis exaggerationibus, & neglectâ, quâ utitur Author, Tautologiâ, quâ instar Battæ Poëtæ ridiculi perpetuò eandem cantilenam ingeminat

In illis

Montibus, inquit erant & erant in montibus illis.

Sed homo quantumvis verbosus tandem obmutuit, cùm nihil reperire posset, quò postremo argumento opponeret, sumpto ex cessione Urbis Bisontinæ in Regem Catholicum eâ lege factâ, *ut inter Circuli Burgundici Provincias & terras pars protectionis ab Imperio jure vigore antiquorum pactorum competentis possidenda existat & comprehendatur.*

Quæ Clausula, cùm ab Ordinibus Imperii inserta sit Instrumento ejusdem traditionis anno 1654 atque ita post Pacificationem

tionem


tionem Monasteriensem satis significat ab eadem illaſam atque integram permansisse Burgundicam Transactionem, cuius vim sine ulla limitatione etiam ad hanc Urbem extendi Ordines voluerunt.

Illud postremò animadversione dignum est, & ad confirmationem supradictorum pertinet, pacta & stipulationes omnes Paci Monasteriensi insertas, quibus de Circulo Burgundico inter Membra retinendo & fruituro effectibus Pacis cautum est, ex parte Imperii conceptas & appositas fuisse, Rege Catholico, Circuli Domino, non interveniente Tractatui, sed re totâ actâ atque confectâ inter Imperatorem & Imperium ex una parte, & Rege Christianissimo ex altera. Quid verò causæ est, cur hanc sollicitudinem pro Circulo Burgundico susceperit Imperium, ipso Circuli Domino nihil Paciscente? Profectò aliud nihil, quàm quòd ad se omninò pertinere existimaverit, tam illustre Membrum suum non perdi aut abdicari, sed retineri ac defendi, quoad res ferret, ideòque cùm iniquitas temporis poscere videretur aliquid de Jure Imperii tunc remitti, id ejusmodi Clausulis muniretur, ex quibus intelligi posset, necessitati præſenti aliquid datum esse, quod in futurum fraudi non foret: Unde natæ sunt illæ formulæ, *de bellis jam vertentibus, itemque de comprehendendo Circulo Burgundico istâ Pacificatione, ubi bella inter duas Coronas sopita essent, ut significaretur, aliter in futurum agendum, si nova bella exsurgerent, quàm illius temporis status tunc expressisset.*



D

III. RE-



III.

REPLICA

*ad*PRÆTENSAM RE-
FUTATIONEM

Directorio Imperii per Dominum Speidelium ex
Commissione (ut ait) Domini Marchionis de Castel
Rodrigo 6. Julii Anno 1667 ex-
hibitam.



Acri Romani Imperii Electorum, Princi-
pum ac Statuum Reverendissimi, Excellentissimi
ac Amplissimi Domini Legati, Consilarii & Depu-
tati, Domini honoratissimi.

ANtequam in re tanti momenti, ut hinc in quaestione est, me
intromitterem aut pergerem, indicanda mihi in antecessum
nonnulla fuerunt ad propositum necessaria, ne quid hinc
Regi Christianissimo, Domino meo omnium Clementissimo, ad-
nasceretur praëjudicii.

Eapropter Sacrae Regiae Majestatis nomine declaratur;
Mandata, si quae fortè hoc in negotio à Domino Marchione de
Castel Rodrigo transmissa sint, invalida, insufficientia, variis-
que suspicionibus obnoxia: praëprimis ex defectu potestatis, nisi
eam

eam se à Serenissima Hispaniarum Regina absolute consecutum constiterit : Siquidem Belgicarum Provinciarum merus sit Gubernator, cui non competit authoritas adeò qualificata, ut proprio motu huc quicquam dirigere possit ab Imperii Directorio legitime recipiendum. Nec Dignitati Regiæ consultum cense-rem, contra simplicis Gubernatoris Substitutum hinc proprio agere nomine.

Præviâ nihilominus hâc declaratione, ne in præjudicium omnium altissime memoratæ Suæ Majestatis hæc deinceps trahantur, vel minimam pareant consequentiam, hanc Replicam pro sola Statuum hisce in Comitibus congregatorum satisfactione præsentandam existimavi, reflexione ad dictum Marchionem de Castel Rodrigo hâc vice sepositâ.

Operæ pretium me insuper facturum arbitratus, ad explanationem genuini sensus, veræque mentis contrahentium facientia delibare, quoad Clausulas Pacificationi Monasteriensi insertas, Circulum Burgundicum concernentes, qui pro excluso ab omni Imperii defensione in omnibus diffidiis, quæ inter has Coronas Galliæ & Hispaniæ unquam emergere poterunt, à Rege Christianissimo habetur, idque virtute §. *In futurum verò &c.*

Econtra ex adverso prætenditur, cum sit, manseritque Membrum Imperii per ejusdem Pacis Tractatus, cum non minus, quàm reliquos Imperii Circulos sub una eademque assecuratione comprehendendum, gaudere ac perfrui etiam debere omnibus beneficiis in Transactione Anno 1548 ipsi concessis; non esse exclusum ab hac ipsa protectione ac tutela nisi ad tempus, quamdiu nimirum bellum inter dictas Coronas durasset, Pace verò Pyrenæa confectâ, in possessionem pristinae securitatis postliminio quasi reversum, & quoad omnes dictæ Transactionis Burgundicæ Clausulas redintegratum.

Tota in his consistit conceptæ prætensionis Hispanicæ substantia, videndum restat, an illa cum vero Instrumenti Pacis Monasteriensis intellectu sit consentanea.

Notorium & ex parte Regis Christianissimi satis est perspe-

Etum, esse Transactionem quandam, quâ anno 1548 inter Imperatorem & Imperium ex una, & dictum hunc Circulum ex altera parte conventum est: Ipsum sub Imperatorum Imperiique protectione consistere debere &c. Ast verum nihilominus est, tres Imperatores Sibi invicem ordine succedentes, Ipsosque Imperii Status, hâc Transactione non attentâ è re sua nequaquam iudicâsse hanc Circuli defensionem in Se suscipiendam, motibus postmodum in Belgio (ut universis constat) exortis, tantoque tempore continuatis.

Objici interim potuisset; Eisdem in vim dictæ Transactionis, & ex obligatione adhuc tunc temporis adeò recenti teneri: Attamen nec Ipsi Imperatores, nec Imperii Status, (omnibus instantiis, interpellationibus ac reiteratis ex parte Hispaniæ implorationibus posthabitis) hujusmodi dissidiis, quibus aliena in Se arma convertere, Ipsamque Germaniam ancipiti ac exitioso bello exponere potuissent, Se immiscendos statuerunt, prudentissimè reputantes; Circulum Burgundicum variis subjacere mutationibus, quæ simul & reliqua Imperii Membra afficere facilè possent, & per consequens, justum pariter ac necessarium, rescare quadatenus partem corporis, quæ certis in casibus illud planè secum in discrimen adduceret. Saluberrimum hoc fuisse consilium, ex quo Univerſa Germania tam profundâ gavisa est tranquillitate, ipse effectus experientiâ Magistrâ docuit.

Meliùs percipientur ista, quanti momenti nimirum hoc fuerit statutum, si consideretur, qualis fuerit rerum facies in Imperio, ex quo contraria inita fuerunt consilia, ab ipsis Hispanis insufflata, & ob privatum commodum à laudabili hoc Imperatorum proposito se segregantia, liquidò constabit, bellum inde in Germania exarsisse, nec ante conclusam Pacem Monasteriensem restringi potuisse.

Hæc ipsa verissima etiam ratio est, quæ movit Electores, Principes ac Status Imperii, contrarios effectus, (qui ex contrariis istis principiis his è diametro oppositis resultarunt) quàm sagacissimè respicientes; quòd sine ulla difficultate hanc viam iniverint, ut tutissimam compendiosissimamque ad veram Patriæ tran-

tranquillitatem solidè stabiliendam, quâ simul exoptata concordia, mutuumque inter Galliam & Imperium amicitiae vinculum firmiter conservari posset, bonum statuendo ac conducibile, ne se diffidiis implicarent, quæ occasione hujus Circuli possent exoriri, modo quo id in Articulo tertio & speciatim per §^{um}.

In futurum verò &c. tam clarè expressum conspicitur.

Ex præmissis inferre haud foret difficile: Quòd si olim prudentissimi tres Imperatores ac Imperium noluerint defendere hunc Circulum inter tot discrimina fluctuantem, tantoque tempore diversis conquassatum motibus, Transactione nihilominus præactâ id ipsum omnino exigente (ut dicitur) minori id nunc suscipiendum erit ratione, Pactione solenni interveniente, quæ pro lege Imperii fundamentali habetur, quâ hoc expressè prohibetur ac insuper huic de prædicatæ Transactioni derogatur.

Possent hinc dici ulterius: Etiam si non nihil esset obscuritatis in dicto Artic. 3^o (quod verè non est, si in fundamento lustretur, & si in hoc adinvenire liceret explicationes, quæ ab utraque parte allegari probabiliter possent) directò id contra Imperii commoda tenderet, se exercere ac ingeniosas conquirere rationes in tuenda adumbrata Coronæ Hispanicæ intentione, certò persuasus hanc ad effectum perducere vix posse, nisi cum periculo immersionis Germaniæ in eosdem belli motus, quibus ante conclusam Pacem Monasteriensem se involutam conspiciebat.

Hodiernâ die quæstio est de certis quibusdam Statibus, qui Regina Christianissimæ legitimo titulo obvenierunt, ac ad eandem nunc spectant in Belgio, prout cuilibet perspectu facile fuit ex Scripto desuper in lucem edito & hisce in Comitibus communicato. Regia Christianissima Majestas declarat, se eas partes non aliis quàm iisdem conditionibus, dependentiis ac obligationibus erga Imperium, quibus à Corona Hispanica possessa fuerunt, possidere, Imperium hæc ipsâ declaratione (sanctissimè à Sua Majestate observanda exequendaque) sui Juris nullam jacturam, nullum sentiens præjudicium, nullo æquitatis prætextu

nec directè nec indirectè se opponere poterit coeptis, justissimæ-
que Suæ Majestatis intentioni, quæ nil aliud expetit, quàm quæ
Christianissimæ Reginae citra ullam contentionem optimo ma-
ximo jure competunt.

Ex his fundamentis, Replicatu haud difficile erit ad præ-
tensam Refutationem nomine Marchionis de Castel Rodrigo ex-
hibitam.

*Contra Cir-
culi Bur-
gundici se-
curitatem
compositi
Ec.*

Primo statim loco asseritur, nec quicquam attentatum iri
ex parte Regis Christianissimi contra Circuli Burgundici securi-
tatem. Quid sibi ergò vult Author suo hoc titulo? absit à Chri-
stianissima Sua Majestate, ad quam nomine Christianissimæ Re-
ginae diversi pertinent Status, dicto sub Circulo comprehensi,
imò libentissimè ejusdem securitati prospectum cautumque vide-
bit, eundemque pro posse tuebitur.

*Allucinati-
ones quo-
rundam
Ec.*

Quinam isti ex Legatis sint, quos carpit Refutator, me latet,
nec percipere possum, quâ ratione illos pro Allucinatoribus ha-
beat? Ut verum fatear, si libertate isthâc eos hoc nomine insigni-
tos velit, eò quòd justitia Imperiique tranquillitas vetent, ne
contra Christianissimam Suam Majestatem Circulus defendatur
Burgundicus, apparet, sanio rem Illorum partem hoc numero se
comprehendi per specturam.

*Cujus Re-
sponsi nulla
quidem so-
ret necessi-
tas, nisi in-
docti, rerum
rudes Ec.*

Continere me quin dicam vix possum, & certò per suasum
habeo, idem mecum judicatu ros, quot quot ab affectibus sibi tem-
perare nôrunt; præ tensum Refutato rem nimis altum intonare
tanto cum fastu & arrogantia, unde & quivis honesti offensam
capere possent, tumidè spernendo non tantùm Responsum ex
parte Gallia e in causa, de qua hodiè quæstio est, exhibitum, sed &
terminis utitur, uti sunt *Indocti & rerum rudes*, nec re-
futationis Authori, nec iis, quos perstringere intendit, nequaquam
convenientibus.

Ignorare nihilominus non debebat, Scriptum hoc à me non
nisi ad personas hunc Conventum constituentes directum fuisse,
& sat difficultatibus se intricatum conspiceret, si teneretur de-
mōstrare ac probare, quinam illi sunt *rudes* & quinam *indocti*.

Sequi-

Sequitur hîc Refutator illorum exemplum , quorum hic nomine agit , ut rationibus destituti ad convicia facillimè descendant.

Firma persistit semper ex parte Franciæ desuper emanata declaratio, quam hîc denuò repetere superfluum foret.

Totius Responsi summa &c. Sed tota questio in eo versatur &c.

Magnâ hîc certè opus est distinctione, respectu Regis Christianissimi ex duplici ratione: Prima, quòd Imperii Status Coronæ Hispanicæ non possint subministrare auxilia in Circulo Burgundico, nisi transgressâ obligatione, quâ illud expressè prohibetur per art. 3^{tium}. Secunda, quòd Refutator præsupponat quod non est, Regem Christianissimum pro aggressore accipiendo, siquidem Sua Sacra Majestas in præjudicium Imperii contra Circulum non movet, sed quærit solummodò quod ad Se pertinet in dicto Circulo, *salvis Imperii juribus.*

Ex suprâ deductis contrarium satis superque patescit, tantum nimirum abesse, quòd hoc Jus stabilitum, ut ne unquam quidem Status Imperii, etiam durantibus motibus, de quibus est facta mentio, crediderint securitatem reliquorum Circulorum ob motus ipsius Burgundici in discrimen pertrahendam esse; suo loco hâc vice relinquendo, quam non ita pridem Dominus Speidelius Speculo suo Observat. 204 sub lit. B. huic Transactioni tribuat authoritatem, validitatemque, dum in hæc verba scribit: *Transactio tamen ista, utpote in Imperii præjudicium tendens, & Duci Burgundie plura quàm par videtur privilegia concedens, à Statibus Imperii aliquoties impugnata fuit, unde & eandem ex proposito neglectam atque posthabitam verosimile est.*

Hoc jus defensionis stabilitum ac radicatum Transactione 1548.

Ne quidem tangere, nisi dispositio Pacificationis Monasteriensis diversum introduxisset, cui cedere innumera pacta, privilegia, indulta ac Imperatorum Constitutiones nemo negabit.

Convellere Transactionem Authori studium fuit.

Non suppositum, sed ex parte Galliæ sufficienter probatum existimatur, junctâ iteratâ hâc protestatione, deproperatum hoc

Sed pugnare Transactionem Burgundicâ

Respon-

cum Articulis
Instrumenti Pacis
non supponendum.

Responsum in Imperii præjudicium nullatenus tendere, sed ad præpediendam omnem Pacificationis contraventionem, unice repræsentando figuram & faciem Circuli præsentem ex antiqua forma ac transactione non esse dijudicandam, idque modis & rationibus ita fundatis, ut à Refutatore ejusve à seclis à statu dimoveri nequeant.

Quid aliud
Verba Articuli 3ⁱⁱ.

Totam in hoc repositam habet Refutator Scripti substantiam: *Si membrum? ergò tueatur. Si Pacificatione comprehenditur? ergò asssecurationis beneficio præmunitur.*

Ponamus: Imperium instar corporis se habere; quid inde? Nonne Imperio perinde est Circuli Burgundici partem ab Eo possideri, Cui id jura tribuunt? Inferendumne ex hoc; accessione nonnullarum Ditionum (quæ in favorabilibus tantum Imperium hætenus agnoverunt, non verò in onerosis) Regem Christianissimum pro hoste reputandum? & harum legitimam obventionem dicere *Crudelitatis portentum*, cui hæc membra dilanianda objicerentur? Semper nunquid cum Hispano in hoc Circulo concertantes pro hostibus Imperii sunt habiti, *Quomodo antehac ejus permissa est aggressio & vetita Imperii defensio.*

Hæc sigillatim diluenda &c.

Nitidè satis actam clarè, ut ne quidem rectâ oculorum acie à Refutatore intueri possint; judicent illi, quibus Responsi Gallici copia facta est, an ad Pacis Instrumentum provocare sit *Diver-ticula querere*: Quare Refutator, sufficienti istius discussione relictâ, vitilitigantium more verba aculeata, in Authorem suum optimè quadrantia exquirat.

Unica per-
odus speci-
em aliquam
habet &c.

Non nudam speciem, sed & virtutem, robur & substantiam, solidissimum, cui Regia Christianissima Majestas innicitur, fundamentum, quod

Quàm si dura silex, aut stat Marpesia cautes.

Hæc eodem
actu com-

In his, quæ eodem actu, ab iisdem circumspectissimis Paci-
scenti-

scantibus placita, adeoque in re nec dubia nec obscura, sed terminis claris significati vis explanata, quibus nullam affingere licet discrepantiam, per interpretationis regulas incedere aliosve reconciliandi modos conquirendo se torquere, verè est, *diverticula quærere*, nisi fortè hoc inferre conetur Refutator, aliter simulatum quàm gestum aut conventum & Galliarum Regem Christianissimū ex proposito circumventum esse, cujusmodi interpretatio admittenda nō est, per quam altera pars remaneret in damno, & parti uni per alteram eo ipso iniqua esset illata conditio, excludendo Regem Christianissimum à proprietate & Jure quæsito, vel saltem vi armisve impediendo; siquidem in Paciscentium potestate tunc temporis nondum erat, jus alienum pacto perimere. Si aliàs Refutator tantæ est perspicacitatis, antilogiam ostendat inter hæc à se vexata Capitula, & videbitur, si vocabula, *In futurum*, interpretanda veniant pro *nunc*, aut si verba, *Jam vertentibus, ad Pacem Pyrenæam* restringenda tantum, quâ deinceps confectâ §^{um}. *In futurum vero &c.* nullius efficaciam remansisse, ac omni suâ virtute excidisse, liberumque relinqui Partibus nunc mutuos hostes sine Instrumenti Pacis contraventione juvare.

*prehensa
inter se con-
cilianda &c.*

Quantum ad salvandum assurationis Articulum, in vanum est, tam anxie desudare, siquidem à nemine impugnatus, imò sincerè propugnatus cum omnibus in Pacis Instrumento comprehensus.

Ex visceribus Pacificationis, ut salvus maneat assurationis Articulus &c. Prima scilicet ratio, ibi ad verba: Si inter ea Regna controversia oriantur &c.

Distinctio, quam affert Refutator, inter Regna Hispaniæ & Circulum Burgundicum, caret ratione, certum quandoquidem est, Circulum hunc partem esse ab his Regnis dependentem, utique etiam debuit sub illis esse complexus, unde & Imperii Status omni meliore modo hoc nomine sibi præcavendum duxerunt, eundem majori sollicitudine ob differentias, quæ inter has duas Coronas indidem reviviscere possent, præ reliquis Statibus ad Hispaniæ Coronam pertinentibus, respexerunt tanquam verum offensionis lapidem. Et clariùs demonstrando Statuum

E Imperii

ad
icè
qua
ra-
eri
m:
n-
u-
le?
of-
ces-
m-
ri-
ob-
m-
in
iti,
de-
cie
lici
r-
uf-
em
m,
la-
ci-
nti-

Imperii mentem hanc unicam fuisse, in futurum bellis in hoc Circulo inter ea Regna se vertentibus non se immiscere velle, Clausulam hanc annectendam iudicârunt: *Singulis tamen Statibus liberum sit, huic illive Regno extra Imperii limites suppetias ferre.* Quod non alio quàm hujus Circuli, unde fortè metuebantur belli incentiva, est factum intuitu. Quid ad hæc Refutator, hoccine Sisyphi saxum volvere? omnes ictus eodem scuto excipere ac pari facilitate depellere. Saxum hoc involubile potiùs, constans & fixum, quàm quòd à quopiam moveri, minùs erui possit.

Alia interpretatio sumpta ex Capitulatione Leopoldina &c.

Non dubitatur ex parte Regis Christianissimi, quin Imperator, in quantum hunc Circulum concernit, Capitulationi, Paci- que Westphalicæ se cõformiter gesturus sit; & hoc ipso per se corruent Scripti primi Burgundici principia sufficienter & solidè cæteroquin in Responso Gallico elisa.

Non aliud refugium repertum &c.

Quod ubivis obvium perquisitione non indiget. Quales verò illi sint, qui Capitulationem quotidie omnibus machinis impugnant, non omissuri quoque hanc, si cum colore aliquo eãuti possent, vix percipitur; aut si Authorem Responso Gallici hoc ipso perstringere intendat, valde ineptâ digressionem utitur, dum per latus alienum eundem petere tentat, taliaque ipsi affingere, quæ illi nunquam in mentem venere.

Electores Imperii &c.

Absit quicquam sinistrum de His præsumere. Si aliis destituitur rationibus Refutator, hæc certè debili consistunt talo, e contra perennat: Quòd omnis ratiocinatio & interpretatio ex Capitulatione desumpta vergens in præjudicium Instrumenti Pacis, aut huic contrarium quid statuens, sit tanquam inutilis aspernanda.

Per externos hostes Corona Gallia Hispanos designari &c.

Pro talibus habitos ab Imperii Statibus experientiâ indice clarius efficitur, quàm quòd probatione aut longâ repetitione indigeat: Sunt ita expressè in Instrumento Pacis designati, non primùm aut recenter ex parte Galliæ.

Verùm hoc recipi nulloatenus potest &c.

Non solùm hæc, sed & innumera alia, quibus securitati Imperii prospectum, à Refutatore non recipi facile persuasum habetur.

tur. Cæterùm de Jure Circuli, de Dominio ipsius Exterorum respectu, de armis Regis Christianissimi pro alienis habendis, & reliquis in hoc & sequenti paragrapho in confuso prolatis, ista ex priori Responso ac suprâ adductis jam suam recepere expeditionem: Sufficit, de constanti ac perpetua Pacificationis Westphalicæ observatione, justitiaque causæ Regis Christianissimi cordatis omnibus satis superque constare.

Quid hîc moveret stomachum in re tam palpabili? non hîc opus fuisset injurias maledictaque cumulando perfucata ac ficta incedere: Nil crebrius in Responso Gallico reperietur quàm Burgundiæ Circulum & haberi & nominari Membrum Imperii, sicuti jam antè Refutator ipse, statim in ipso Refutationis initio ipsaque totius Responso summatione, hoc ipsum transcripsit.

Subinde stomachatur Author &c.

Etiam quid amplius si velit, modò citra præjudicium Regis Christianissimi aut Tractatus Pacis Monasteriensis, veluti trutinam, ad quam omnes dispositiones ac pacta cum suis interpretationibus omnino revocanda.

Non tantum pro Membro sed etiam pro Statu Imperii &c.

Quâ ratione existimetur, Imperium pacisci potuisse contra seipsum, demonstratione satis clarâ ex retrò deductis evincitur, hinc verò necessitate absolutâ non sequitur; Imperium præcisè Regem Catholicum in Circulo Burgundico Christianissimæ Suæ Regiæ Majestati justa negantem fovere instar Membri debere, etiam casu quo pactum de mutuis hostibus non juvandis nunquam cum Imperio intercessisset.

Vix etiam Replicâ dignum &c.

Quid à proposito ac mente Responso Gallici magis alienum excogitari potuit, quàm hîc de Bullæ Brabantinæ abusibus abrogandis litem movere, commodo apprimè loco ejus erat facta mentio, exempli saltem gratiâ, nec opus fuisset, eam huc extra oleas tantùm retrosiliendo dimovere, ne etiam hac non sine offensa transiisse videretur Refutator.

Jam quid à proposito &c.

Mitius & mollius convenisset de hac re loqui nec hujusmodi quæstiunculas ac comparationes instituere: Dicam nihilominus, si id à me petierit Refutator pro privata sua informatione ac scientia: intentionem Regis Christianissimi non esse, immisce-

Primum quid ad Galliam, quod agat Germania &c.

re Se Imperii negotiis ad Sacram Suam Majestatem non pertinentibus, sed iis solummodò, quæ Pacificatione Monasteriensi comprehenduntur, & ex quorum mutatione aut sinistra interpretatione vel in Ipsam Sacram Suam Regiam Majestatem, vel etiam amicos Confœderatos Compaciscentes aliquid detrimenti aut præjudicii derivari posset.

Altera Protestatio &c.

Solidissimè in Instrumento Pacis id fundatum, nisi in reprobum sensum mentem Paciscentium detorquere fategissent Scripti Burgundici Authores; & quidem contra tenorem expressum protestationum à Collegis suis quondam Imperio obtrusarum: Mirandum sanè, Regem Catholicum contra Pacta Imperii quoad securitatem hujus Circuli, quòd eà contra Galliæ Coronam frui neutiquam possit, tam acerbè protestari voluisse, cum econtra Imperium in aliis Transactionibus Hispanicis satis cognitis supra ejusdem Circuli Ditiones ne quidem auditum, nec pro partecipe habitum sed planè exclusum fuerit; & bene est itidem, quòd Jus interpretandi publicas conventiones, si in illis obscuritatem esse dicere fas sit, Refutatori soli non competat.

Quòd si denique evicisset &c.

Contrariam esse Pacificationem Monasteriensem Burgundicæ Transactioni, non primùm Author Responsi Gallici, sed ante illum evicerunt ipsi Ministri Hispanici ad Tractatus Monasterienses deputati, quibus præsentibus & intentionem Paciscentium probè percipientibus hæc dura nonnihil visa fuerunt, ut suis id in apricum exposuerunt protestationibus. Quid enim dici potuit clarius, quàm *omnem omnino spem futuri subsidii præscindere &c.* Status Imperii esse Tertios in contrarium Paciscentes &c. Quid aliud sibi vult, quàm de Circuli Burgundici securitate statuendi auctoritatem Iphis denegare? Si ad validitatem hujus stipulationis inter Regem Christianissimum & Imperium adeò necessarius fuit consensus Regis Catholici, quare non vicissim requisitus consensus fuit Imperii,

rii, cum Eadem Sua Catholica Majestas de Imperii Circulo cum aliis transigeret.

Qui digressionem non inveniens, quod sibi succenturiari Hec apud intelligentes &c. queat, cum umbræ similitudine ad futilia dilabitur ac transit; Battumque in scenam secum adducit ridiculum, ut eò clariùs, nugatum se fuisse, suo proderet indicio.

Videtur Refutatori incognita mens & ingenium Authoris Scripti Gallici, aliàs certè tanto elogio eum non fuisset Sed homo quantumvis verbosus &c. dignatus, nempe *Verbosus*, tantum abest ab illo, quòd sit, ut ne quidem pro redhostimento quicquam reddat Refutatori, quamvis forsàn materia non defuisset infra tanti Regis Ministri, honestique viri officium reputans, hujusmodi uti scommatibus in rebus gravibus ac seriis. Optimè quidem, recordatur Author Scripti Gallici, se nihil respondisse ad ea, quæ de Civitate Bisantina in primo Scripto Burgundico referuntur, sed verba superflua credens, quibus exponeret, aliter de Circuli hujus parte, quàm de toto censi, & plus Membro, quàm Corpori, cui id coadunatum, ex cessione anni 1654 tribui posse, aut contrarium quid Pacis Instrumento introduci voluisse.

Ex hac Clausula sic parum consequitur subsidii Refutator, nisi accessione Civitatis Bisantinæ ad Hispaniæ Dominium Quæ Clausula &c. Transactionem Burgundicam suam demum complementum obtinuisse evincat, non simplici discursu aut præsumptionibus, sed solidis & claris textibus.

Et etiam animadversum satis est ab Imperii Statibus Illud postremo animadversum est &c. videntes de hoc Circulo pro lubitu à Rege Catholico disponi, & Transactione ista aliò quàm ad Imperii conservationem collimatum fuisse, Rege Hispaniarum non requisito, prout nec Ipsi jam antè requisiti fuerant, Sibi ac tranquillitati Imperii prospici-



prospiciendum, Ipso etiam non annuente duxerunt, prout hæc
omnia Imperii Statibus perspecta, quorum & impartiali iudicio
hæc remittuntur. Dedit Ratisbonæ die 18. Julii Anno 1667.

*Reverendissimorum, Excellentissimorum ac
Amplissimorum Dominorum Legatorum,
Consiliariorum & Deputatorum, Domi-
norum honoratissimorum*

ad omnia officia paratissimus

**ROBERTUS de GRAUEL, Régis Christia-
nissimi Plenipotentarius.**

IV. RE-



IV.

RESPONSIO

ad
 Replicam, nomine Christianissi-
 mi Regis Imperii Directorio extra-
 ditam.

Reverendissimi, Illustrissimi, Amplissimi &
 Doctissimi, Electorum, Principum & Ordinum Sa-
 cri Romani Imperii Legati, Domini plurimum ho-
 norandi.

A Nemine partium studiis vacuo potest ambigi, quin Circu-
 lus Burgundicus, ut indubitatum Sacri Romani Imperii
 Membrum, frui debeat garantiâ securitatis publicæ, vi cujus di-
 ctum Imperium Belgicis Provinciis nunc temporis bello oppressis
 succurrere teneatur. Idque non ita pridem ejusdem Circuli no-
 mine adeò firmis & validis rationibus, per publicam Dictaturam
 exhibitis demonstratum est, ut ulteriori discussione res tam clara
 non egeat.

Cum tamen ex parte Galliaë fuerit per Scriptum quoddam, sub
 Replicæ titulo, novissimè Amplissimis Dominis Legatis similiter
 Dictaturâ publicâ communicatum, non potuimus, quin ad majo-
 rem hujus negotii dilucidatione, & ne taciturnitas nostra in assen-
 sum vertatur, dictū Scriptum Gallicum strictim saltem pro nunc,
 (cum ulterioris tamen discussionis reservatione) delibaremus.
 Primò itaque in ingressu dictæ Replicæ contenditur de
 validi-

validitate mandati ab Excellentissimo Domino Marchione de Castel Rodrigo & Burgundiæ Governatore dati.

Secundò asseritur, Monasteriensem Tractatum Augustanæ Transactioni, quoad securitatem ad defensionem ab Imperio præstandam, derogare, & §^{um}. (*In futurum verò &c.* de mutuis hostibus non juvandis) Circulum Burgundicum à garantia respectu Gallorum penitus excludere.

Tertiò, Legatos à Sua Catholica Majestate ad Transactionem Monasteriensem, illi omnino reclamasse, suisque protestationibus arguisse, omnem Circulo Burgundico contra Gallos defensionis viam imposterum intercludi.

Quartò, tres Imperatores Sibi invicem ordine succedentes, Ipsosque Imperii Status, Augustanâ Transactione non attentâ, è re sua minimè judicasse, eam Circuli Burgundici defensionem in Se suscipiendam.

Quintò, cum Circulus Burgundicus variis subiaceat mutationibus, quæ reliqua simul Imperii Membra possent involvere, illum ideò ab Imperio deferendum esse.

Sextò demum, Regem Gallia nullam Imperio suis armis injuriam facere, quandoquidem hodie (ut ait) est quæstio de certis quibusdam Statibus, qui Regina Christianissimæ legitimo titulo obtigerunt & ad Eandem nunc spectant in Belgio: Et quòd Regis Christianissimi mens est, se eas partes non aliis quàm iisdem dependentiis, conditionibus & obligationibus erga Imperium, quibus à Corona Hispanica possessæ sunt, possidere.

Quibus Capitibus breviter jam ex ordine respondendo, supposito priùs veluti firmissimo fundamento, ut modò dictum est, Circulum Burgundicum esse & manere Membrum Sacri Romani Imperii, dicimus

Ad Primum.

PERpendant seriò Imperii Status, quo jure se se opponat hac in re Minister Gallicus, moveatque contra Circulorum Delegatos quæstionem Status, cum ipse neque sui Regis nomine, neque aliunde, sessionem ullam votumque obtineat in Comitibus.

Hic

Hic certè viderint, quàm periculosum sit, similes oppositiones admitti, ipsaque Imperii Membra externis à Principibus propriâ excludi domo; & quàm coërcenda sit libertas Comitiorum, dignitasque negligenda, si externæ potentiaë domesticis Imperii rebus imposterum sese immiscuerint.

Verùm ne quid dubii cuiquam hae in re supersit, clarum est, Belgii Gubernatoribus competere & competiisse potestatem ad Comitia Imperialia immediatè delegandi.

Ut quidem contigit in primis post Augustanam Transactionem Comitiiis, in quibus Delegati ratione Circuli Burgundici ab Maria Hungariaë Regina, Belgii tunc Gubernatrice, Mandatum suum obtinuerant.

Prout colligere est ex Recessu Augustano anni 1551, ubi disertis verbis legitur; Legatos Circuli Burgundici subscripsisse nomine & ex potestate illis tradita ab Maria Hungariaë Regina, tunc temporis Belgii Gubernatrice. Ita in Recessu.

Quod deinceps plerumque fieri solitum est, & specialiter in postremis duabus Legationibus.

Ad Secundum.

TRansactio Monasteriensis, Augustanae de Anno 1548, minime derogat, siquidem (ipsâ adstipulante Gallia in Tractatu Westphalensi) Circulus Burgundicus est debetque manere Membrum Imperii post controversias inter Hispaniam Galliamque sopitas, hâc Pacificatione comprehensus.

Aliquandiu solummodo garantiaë suspendit effectum illa Transactio, dum in Articulo tertio cautum fuit, ne bellis in eo Circulo jam vertentibus Imperator & Imperii Status se se immiscerent.

Verùm, postquam habitus ad Pyrenæos congressus bellum hoc penitus sopivit, resuscitatur jam intermissus effectus garantiaë & Circulus Burgundicus efficaciter potiri debet privilegiis omnibus, quibus fruuntur ceteri Circuli, omnibusque Conventionis effectibus, quæ communem & reciprocam defensionem adstruit. Unde, his adversissimis temporibus, laboranti Belgio

succurrere tenetur Imperium, idque virtute Constitutionum Imperialium, Augustanaeque Transactionis, quâ constat, Imperatorem & Imperium datâ fide se se obstrinxisse, ad perpetuam Provinciarum dicti Circuli defensionem, promittentes expressis verbis, eas futuras semper sub protectione, custodia, conservatione & auxilio Sacri Romani Imperii, easque futuras libertatibus & Juribus ejusdem; & per dictos Imperatores ac Reges Romanorum & Status dicti Sacri Romani Imperii semper, sicut alii Principes, Status & Membra ejusdem Imperii, defendendas, conservandas & fideliter tuendas.

Quæ quidem Augustana Transactio suum jam sortiri debet effectum, cum Instrumento Pacis Monasteriensis sola bella tunc vertentia inter utrumque Regem exceperit, quibus solenni postmodum Pace sopitis, nulla penitus detrectandæ garantiæ ansa jam superest: Et hanc fuisse genuinam Paciscentium mentem demonstrat, quod accidit post Conventionem Monasteriensem, cum Imperator & Status Imperii Civitatis Bisuntinæ dominium in Regem Catholicum transtulerunt, eâ lege & conditione, ut inter Circuli Burgundici Provincias pari protectionis ab Imperio Jure, vigore antiquorum Pactorum competentis, possidenda existat & comprehendatur.

Ex quo constat, etiam post Transactionem Monasteriensem Circulo Burgundico sua illæsa remansisse antiqua Privilegia, quemadmodum jam superioribus annis demonstratum fuit, & novissimè duobus Scriptis à Delegato Burgundico antehac prolatis, quæ quidem evolvantur, si lubeat, ac perpendantur.

Nec superioribus omnibus adverstatur §^{us} *In futurum verò &c.* In illo enim Article totum Imperii Corpus indivisim ex una, & Gallia paciscitur ex altera parte; quæ quidem duæ Partes Sibi invicem cavent de mutuis hostibus non juvandis, adeò ut Imperium cum suis decem Circulis Corpus unicum simul componentibus unius tantummodo contrahentis personam gerat, & alterius Gallia.

Itaque, cum Imperium pollicetur, Se nullum hostibus Gallia
latu-

laturum auxilium, pactum hoc de hostibus exteris intelligendum est, nec ad Imperii Membra referendum.

Unde vocabulum illud (*mutui hostes*) nihil aliud sonat, nisi hostes extraneos, alioquin Imperium sua Membra deserere teneretur, & ad hoc se se obligasset, quod inauditum planè est, ac pugnat cum primæva æquitate; quid enim hoc rei foret? totum Imperium dilacerari partibus aliis, alias vi conventionis cuiuspiam deserentibus.

Cùm autem Circulus Burgundicus tam verè Circulis Imperii, quàm quivis alius, adnumeretur, iisdemque planè gaudeat privilegiis, ac cæteri & illi, nec Pacis conventio, neque Constitutiones Imperiales pejorem affingant, quàm cæteris conditionem; hinc sanè manifestum est, Clausulam illam de non adjuvandis mutuis hostibus, aut ipsos decem Circulos complecti, aut de Circulo Burgundico posse nequaquam intelligi.

Ad Tertium.

ET si Legati à Sua Catholica Majestate ad Pacificationem Monasteriensem protestationes quasdam emisissent; non inde sequitur, (ut colligit Author dictæ Replicæ) eos ideò falsos esse, omnem Circulo Burgundico contra Gallos defensionis viam imposterum intercludi.

Dum enim ad illam Clausulam Articulo tertio insertam (*bellis tamen in eo jam vertentibus*) reclamârunt, id fecerunt utique ex eo, quòd Circulus Burgundicus legitimâ sibi que debitâ defensione periculosissimis illis temporibus destitueretur, dum bellis flagraret undique Belgium, quæ diu grassari poterant, imò & grassata sunt ad annum usque à tali Transactione undecimum.

Nec mirum est, si legati Regii tunc conquererentur, omnem subsidii spem, durantibus illis bellis, omnimodè præscindi; tametsi minimè dubitarent futurum fore, ut illud subsidium post sopita eadem bella exigente necessitate iterum ab Imperio præstaretur.

Ad Quartum.

Hic deficit à legitima probatione Scriptum Gallicum, nec enim refert horum trium Imperatorum nomine, neque tempus, nec prætenfæ recusationis causas, nec demum alias rei circumstantias, prout tamen hæc omnia ad optimam facti cuiuslibet probationem referenda forent. Dato tamen, & non concessio, rem ita se habere; quid inde sequi posset? anne à Facto ad Jus recta esset illatio, & ex eo, quòd aliquando quipiam non steterint pactis Transactionis unius, (quæ tamen de Jure ex postfacto est necessitatis) inferre liceret, Imperium illius Conventionis onere perpetuò liberandum fore, quin imò constanter negamus, ex eo prætenso defectu Jus garantiæ Circulo Burgundico tam legitime acquisitum minui aut labefactari potuisse.

Ad Quintum.

Pensent æqui rerum Judices, utrùm ex eo, quòd Circulus Burgundicus variis subjaceat mutationibus, ideò sit ab Imperio deserendus? si enim ob eam rationem destitueretur, idem planè de cæteris omnibus dicendum erit Circulis, cùm nulla sint in hoc Orbe Regna, nulli Status, quin fortunæ vicissitudines patiantur aliquando, ac mutationi rebus mortalibus familiari subjaceant: Unde hæc ratione Jus omne defensionis, garantiæ, protectionis cæteris etiam ab Imperii Circulis similium revolutionum nequaquam immunibus tolleretur. Imò verò, quia variæ huic Circulo revolutiones imminet, ideò arctiori vinculo ad eum tuendum ipsi adstringitur Imperium, si enim nunquam esset futurum, ut fluctuaret, nullâ certè opus haberet defensione, nullum ab Imperio posceret auxilium.

Constat insuper, quotquot hunc Circulum mutationes hætenus agitârunt, eas ferè omnes ex Gallia prodiisse, quæ sibi temperare non potest, etiamnum, quòd minùs solenni Pacis conventionione posthabitâ confederatas Paceque sibi conjunctas Provincias hostiliter aggrediatur.

Ad

Ad Sextum.

Imbecille est admodum argumentum, quo evincere intenditur, nullam Imperio fieri à Gallis injuriã, dum Rex Christianissimus Provincias ad Reginam Galliaë (ut ait) spectantes aggreditur, easque non aliis, quam à Rege Catholico possessaë sunt, erga Imperium conditionibus possidere se velle declaravit.

Solent nimirum aggressores omnes armis suis prætextum Juris alicujus obtendere; unde penitus inutile foret Jus garantiæ, nec unquam illius casus contingeret, si prædicta ratio vim aliquam sortiretur.

Præterea nemo non videt, Reginaë Galliarum nullum penitus Jus in hasce competere Provincias, & licet competiisset, quod inficiamur, sufficienter eidem renuntiavit, quod in dubium revocari minimè potest, quandoquidem hæc renuntiatio necessarium fuit Matrimonii Regii fundamentum & Matrimonium Pacis.

Quam quidem renuntiationem non secus ac reliquam Transactionem ad Pyrenæos habitam ita inconcussam esse, ipsemet Minister Gallicus in suo priori Scripto affirmat, ut Regem suum in illius infractionis suspicionem vocare crimini vertat, dum in hæc indignabundus erumpit verba: Aut quasi Christianissima Regia Majestas in animo haberet, eundem Circulum de novo armis aggredi.

Sed ne quid prætermittatur hoc in negotio, consulatur 4^{ta} & 5^{ta} dissertatio Libelli, titulum hunc præferentis (*Le Bouclier d'Etat & de Justice &c.*) ibi validissimis rationibus patebit, quam non legitimè id Sibi Juris vindicet Regina Gallorum in hasce Belgii Provincias.

Verùm ponamus, Reginaë Galliarum Jus aliquod in Ducatum Brabantiaë & nonnullas alias Belgii Provincias competere (quod tamen inficiamur:) Nihilominus Imperii Jura lædit Rex Christianissimus, dum eas aggreditur indicta causa; major si-

quidem earum pars feudum agnoscit Imperii, illarumque iudicium spectat ad directum Dominum, cuius illas auctoritate ac jurisdictione fieri nequit, ut non rogata ipsius sententia via Facti in ejusdem directi Domini contemptum adhibeatur.

Quapropter Rex Galliae non armis causam suam agere, sed coram Judice competente de Jure suo debuisset experiri, praesertim cum causa haec sit juridica, prout ex omnibus Ipsiusmet Libellis constat, in quibus suas omnes Jure privato rationes eruit; at verò planè inauditum est, tales actiones ante latam sententiam armis vindicari.

Insuper Rex Christianissimus, nomine Serenissimae Uxoris Suae, asserto titulo Ducis Brabantiae, qui Princeps est Imperii, praetensum Jus suum persequitur; quapropter & quàm talis inire viam Facti minimè potest, quin committat in leges Imperii, quae vim omnem in similibus causis prohibent à quocunque Imperii Principe adhiberi. Quinimò Paci Monasteriensi contravenit, dum praetenso Ducis Brabantiae, id est, Principis Imperii titulo, vi & armis causam suam agitat; conventio enim Monasteriensis illud omninò vetat, ipsismet hisce verbis: *Et nulli omnino Statuum Imperii liceat jus suum vi vel armis prosequi, sed, si quid controversia, sive jam exortum sit, sive posthac incidit, unusquisque jure experiatur, secus faciens, reus sit fractae Pacis.*

His omnibus ad aequam trutinam revocatis, meminerint insuper Imperii Status, Regem Catholicum, tanquam legitimum Circuli Burgundici Dominum ac Possessorem, quotiescunque id res Imperii postulârunt, Illi ferre subsidium nunquam recusasse tam ante, quàm post Transactionem Monasteriensem, imò & recens dum urgeret bellum Turcicum; ut patet ex actu solenni in Imperiali Cancellaria relato die 3. Januarii 1666, & hoc fecisse, ut impleretur Augustana Transactio, licet apertissimum sit, ex eo tempore majorem Circuli Burgundici partem à Corpore fuisse avulsam.

Meminerint item praedicti Imperii Status & Ordines, fir-
mana

mam & indubitatam esse Juris regulam, eum, qui ad omnia tenetur onera, debere omnibus ex adverso gaudere privilegiis, commodis & beneficiis, alioquin talis contractus Leoninam saperet societatem; garantiam item, de qua nunc agitur, esse synallagmaticam ac reciprocam & æquis rationibus ad utrumque contrahentem pertinere.

Hinc fit, ut, Qui contra omnes & in omnibus auxilium Imperio ferre tenetur, mutuum vicissim Illi ab Imperio contra omnes auxilium debeatur. Verum ut Imperium efficacius ad subveniendum Circulo Burgundico impellatur, perpendat, Se non ex justitia modò (ut hætenus probatum est) verum etiam ex politica ratione, totiusque sui conservandi necessitate ad id teneri.

Cùm enim Rex Christianissimus intima ipsius Imperii penetralia propius adoriatur, & ut in proverbio est, proximus ardeat paries; Amplissimorum Dominorum Legatorum judicio & prudentiæ relinquitur disquirendum, an non imminente tanto periculo maturè & sine ulteriori mora occurrendum & obstandum sit, ne, post Circuli Burgundici ruinam, cæteros eadem clades ac fortuna involvat, & ne (cùm jam conclamata erunt omnia) serius ac inutile remedium adhibeatur.

Necessè est itaque, ut Circulo Burgundico, non ob privatum sui ipsius tantummodo, sed ob publicum etiam totius Imperii commodum, efficaciter & illicò prospiciatur; præsertim cùm garantiæ ne dum casus immineat, verum etiam adsit jam & necessitas, periculum enim est in mora, Gallicis Copiis in Belgio nunc grassantibus, nec non hostiliter oppugnatis Urbibus aliquot, imò & expugnatis; & nî confestim succurratur, in maximum certè præfatus Circulus periculum adducetur. Nulli ergò remorentur vani obices, tergiversationes nullæ privatorum impediunt, quò minùs nobili inter cætera Imperii Membro protinus subveniatur.

Enixif-



Enixissimè igitur, quantum fieri potest, apud Membra, Status & Ordines Imperii Circulus Burgundicus instat & petit, ut illicò, confestim & sine mora garantiam sibi debitam exhibeant, ac eâ quâ potest viâ meliori & celeriori protectionis, custodiæ, conservationis & auxilii Circulo Burgundico necessarios effectus præstare non morentur. Quod, ut æquum & Instrumento Pacis consentaneum, nullo modo denegandum certò & indubitanter confidimus. Ratisbonæ die 4. Augusti 1667.

Reverendissimorum, Illustrissimorum, Amplissimorum & Doctissimorum DD. Sacri Romani Imperii Legatorum

ad officia quævis parentissimâ

*Hubertus Guil. de Precipiano
Abbas Bella Vallis*

Cl. Amb Philippe

*ad Comitata Imperialia pro Circulo
Burgundico Delegati.*

V. UL-



V.

ULTERIOR EX
PARTE GALLIÆ
DILUITIO SCRIPTI

à

Delegatis Burgundicis

4^{ta} Augusti 1667.

Imperii Directorio extraditi.



Acri Romani Imperii Electorum, Principum ac Statuum Reverendissimi, Excellentissimi ac Amplissimi Domini Legati, Consilarii & Deputati, Domini honoratissimi.

Scripto à parte Circuli Burgundici Imperii Directorio. 4^{ta} Augusti Anno 1667. exhibito ulterius respondere, Christianissimi Regis nomine abstinere potuisset, quippe quòd in dubiù non revocatur, omnes, qui allatas utrinque rationes seriò & absque partium affectu ponderaverint, æquissimam firmissimoque superstructam fundamento Christianissimæ Regiæ Majestatis

G

causam

causam approbaturus : Nonnulla tamen argumenta, quibus eam concutere sinistrisque interpretationibus ejusdem Circuli Administrum permovere intendunt Imperii Ordines, ad arma contra Galliam capiendam in præjudicium propriæ suæ securitatis & contra amicum Regem solemnibus Tractatibus, qui Partibus Paciscentibus mutuos hostes non juvandi necessitatem imponit, conjunctum. Ex quibus certa spes à parte Christianissimi Regis concipitur, quòd Electores, Principes alique Imperii Status minimè sinent iisdem se induci interpretationibus; quòdque justis & indubitatis Suæ Sacræ Majestatis prætensionibus viâ Facti non se se opponent, haud immemores Ipsam à conclusione ejusdem Tractatus non modò eum cum omnibus Compaciscentibus religiosissimè coluisse & observasse; sed & Suam altissimè memoratam Majestatem omnia adhibuisse officia, sollicitudinem & operam, quibus illæsus maneret, idque in plurimis occasionibus tam feliciter successisse, ut ea ad Imperii tranquillitatem non mediocriter contulisse jure merito dici possit. Ut igitur ad suprascriptum Scriptum veniamus, primo Articulo respondendum videtur.

Ad Primum.

*Perpendant
seriò Imperii
Status
&c.*

NON is animus fuit de sessione & voto, quibus in Comitibus Imperii Circulus Burgundicus gaudet, disceptare: Sed tantummodo exponere, Provinciarum Gubernatoribus, inter quos Marchio de Castel Rodrigo adnumerandus venit, proprio nomine ad Comitibus subdelegare licitum non esse; nisi sufficientem & plenariam à Superioribus, ex quibus dependent, acceperint potestatem.

Si tamen ea Belgii Gubernatoribus absque Regum Catholicorum mandatis subdelegandi libertas concessa fuerit, id quorum interest relinquatur dijudicandum. Idcirco eam quæstionem & omnia, quæ in pari passu Mariæ Hungariæ Reginæ Belgium administrante antehac acta sunt, discutere à parte Galliarum non intenditur; quamvis quædam in hoc exemplo admittenda foret distinctio, inter Reginam Imperatoris sororem, & Dominum Marchionem

onem de Castel Rodrigo, aut alios ejusdem conditionis Gubernatores.

Ad Secundum.

Quòd Transactioni Augustanae per Tractatum Monasteri-^{Transactio}
ensem in certis casibus derogatum fuerit, quòdque, etiam si ^{Monasteri-}
Membrum Imperii remanserit. Circulus Burgundicus, nullam ex-^{ensis &c.}
inde adversus Galliam sibi promittere possit garantiam, suffici-
entissimè probatum fuit: Proindeque solidissimas ad id adductas
rationes repetere supervacaneum foret.

Mirum sanè videri debet, quòd Hispaniæ Administrum tantam hodie ad eam sibi vindicandam, virtute (ut ajunt) Constitutionum Imperialium prætractæq; Transactionis, curam impendere velint; cum ad eas, uti in Replica à parte Gallia extradita evidenter demonstratum est, tam parùm aliàs attenderint. Provocant enim ad protectionem, custodiam, conservationem & auxilium Sacri Romani Imperii, obliti fortasse eorum, quæ à Philippo II^{do} hac in re declarata sunt. Quid, inquit Besoldus, hac de re, id est, (Transactione Augustana Anni 1548) sentiunt Hispani? prodit Johannes Baptista Adrianus in Historia sui temporis Lib. 2. fol. 1473. ubi Philippi II^{di} sequentia verba referuntur: *Electores & Principes Imperii falli, si crederent, Flandriam & reliquas Provincias Sibi subiectas, habere aliquid commune cum Imperio. Et si enim Pater Ipsius, Carolus Quintus, qui eorum Dominus itemque Imperator fuisset, olim Provincias illas adstrinxisset ad auxilia subministranda Imperio, quod vicissim etiam ad reciproca auxilia, necessitate exigente, teneretur; tamen*

G 2

hanc

hanc Obligationem in effectu neutram partem efficaciter hinc inde obstringere, atque Imperium eo Jure excidisse &c. Quæ quidem verba diversis temporibus reapse comprobata fuerunt, & satis constat omnibus præteritarum rerum peritis, eandem Transactionem à parte Hispaniæ pro lubitu acceptam semper & observatam fuisse. Ex quo, aliisque rationibus in præcedenti Replica allegatis, Electores, Principes & Imperii Ordines non multum auxilii ab eodem Circulo virtute ejusdem Transactionis Sibi sperandum esse animadvertentes, orituris in eo controversiis se se immiscere è re sua non judicârunt. Frustra igitur ea omnia, quæ in hoc Articulo deducta, ab Adversariis allegantur.

Nec sanè plurimùm favet ipsorum causæ, id quod ratione translationis Bisantinæ Civitatis in Regem Catholicum contigit, cùm ex ea ad Circulum Burgundicum nihil novi, quod ad rem faciat, accesserit, nec quicquam derogatum iis, quæ in Articulo tertio Instrumenti Pacis contra prætensam garantiam expressè & clarissimis terminis posita sunt.

*Nec superioribus ad-
versatur
&c.*

Verum quidem est, Regnum Galliæ ex una, & Imperium ex altera parte, in Pacificatione Monasteriensi inter cæteros fuisse partes transigentes, Sibique invicem obligatos, *de mutuis hostibus non juvandis*; ast abnegari pariter nequit, Circulum Burgundicum hoc in passu à Corpore Imperii separatum & exclusum, metu nimirum (ut dictum est) ne solus hic Circulus, de quo absolutè disponit Hispania, quemque pro parte essentiali Monarchici sui corporis habet, & per consequens ad nutum suum planè regit & moderatur, reliquis vicinis Imperii Circulis communicaret turbulentos suos affectus, quibus eundem à tot annis laborantem & ad motus quasi compositum conspiciebant. Author Scripti sub fucato titulo, *Bouclier d' Estat & de Justice*, ast rectiùs, *Bouclier de*

de Confusion & d' Iniquité, rotundè satis & intrepidè de Provinciis Belgicis loquendo pag. 135. declarat, quòd *Membra sint Monarchia Hispanica; & licet suis vivant legibus, privatisque consuetudinibus, ac quietè suis gaudeant Privilegiis, esse nihilominus Membra inde dependentia, non secus, quàm partes de suo toto*; adeò ut, cùm placeret Hispanicis Ministris aut è re sua judicarent, Circulum Burgundicum cum Imperio nil commune habere asserant; ast in reliquis occasionibus, eundem esse cum Imperio individuum quid ac inseparabile, pro cuius conservatione Status quibuslibet periculorum generibus exponere se debeant, contra ipsum solennis Pacificationis tenorem.

Superabundè jam tum & clarè satis demonstratum est, Hispanos hoc nomine venire, & eorum ex numero esse, quorum est facta mentio, omnesque comprehendi simul Ditiones ab hac Monarchia Hispanica dependentes, consequenter etiam Circulum Burgundicum, tanquam illius Membrum, ut ipsimet affirmant, aut saltem per supradictum Authorem in his ipsis Imperii Comitibus venditant.

Inde Vocabulum illud mutui hostes &c.

Inter Circulum Burgundicum & reliquos Imperii Circulos maximam esse differentiam, & diversam huic inesse naturam & conditionem, nec iisdem eum cum cæteris gaudere Privilegiis, ex rationibus retrò deductis dudum expeditum est; quibus accedit observantia ipsa, Transactionem anni 1548 tantopere deprædicatam, tanquam optima pactorum conventionumque interpret, immediatè subsecuta.

Cùm autem Circulus Burgundicus tam verè &c.

Ad Tertium.

Admodum certè iniquus esset rerum æstimator, nec sano affectu dijudicaret, cui perspectu facillimum non esset, Hispaniæ Administros Monasterii non solùm contra Clausulam, quâ Imperator & Imperium se obstringebant de non subveniendis Hispanis durante bello tum inter duas illas Coronas vertente;

Et si Legati à Catholica Sua Majestate &c.



verum etiam contra Clausulam subsequentem, *In futurum verò &c.* quâ conventum est, quod in controversiis inter ea duo Regna fortè orituris (quod de tum vertentibus intelligi nequaquam poterat) firma tamen semper maneret inter univèrsum Imperium & Reges Regnumque Galliaë de mutuis hostibus non juvandis supradictæ reciprocaë Obligationis necessitas, fuisse protestatos, quod quidem ex propriis eorum subsequentibus verbis luce clarius apparebit: *Validum, inquiunt, Romani Imperii fuisse Membrum, donec Pace vestrà cum Gallis tanquam putridum, aut cancro, nescio quo, confectum tantum non præciditur: quippe quod tamdiu removetur, dum inter Hispaniaë Galliaëque Coronas pax icatur &c.* Hæc sanè verba aliter quàm huic Clausulæ, *Bellis in eo vertentibus*, nequeunt adaptari. Addit postea Burgundicæ protestationis Author: *Et ut plures turpitudinis notæ eodem concurrerent, nihilque à vobis intactum Stemmatis Burgundico relinqueretur, omnem omnino Germanici subsidii spem Hispano nomini præclusum iri constituistis, in hac fæderis (vulgò Transactionis Burgundicæ Augustæ Vindelicorum 26^{ta} Junii 1548 ictæ) verba impingentes.* An potuit excogitari quicquam aut dici, ex quo de præfati Authoris mente, & de indubitata querimonia & protestationis suæ causa evidentius constiterit? & magis luculenter demonstratum, eam tunc temporis Imperii Ordinum sententiam fuisse, nascituris in Circulo Burgundico dissidiis, sicuti hodiernæ sunt, se se nō immiscendi, nec ullas eidem in simili passu ferendi suppetias. Notatu in primis digna sunt hæc verba, (*Stemmatis Burgundico*) quippe quæ appertè indicant, reciprocam Obligationem in repetito tories §. *In futurum verò &c.* stipulatam, non ad Hispaniam tantum se juncto Circulo, sed ad Circulum ipsum referendam esse.

Ad

Ad Quartum.

IN casu, de quo agitur, magnâ probatione opus esse non videtur, nec juvat multum denominatio Imperatorum, de quibus in præcedenti Replica à parte Galliaë facta est mentio. Ad majorem tamen rei explanationem & ad removenda adversæ partis dubia, si quæ in hoc conceperit, dici potest; non modò Imperatores Maximilianum II^{dum}, Rudolphum & Mathiam unâque Imperium motibus, quibus à Transactione facta tamdiu agitatus fuit Circulus Burgundicus, nunquam nisi amicabili interpositione se se immiscere voluisse: sed alios quoque subsequentes Imperatores eundem Circulum non juvâsse communi saltem Imperii Ordinum consensu. Quantis autem & quàm diuturnis se involutam turbis & agitationibus senserit Germania, si qui ipsorum ob privatum commodum id tentârint, neminem non lateret.

Hic deficit à legitima probatione Scriptum Gallicum &c.

Ex Facto, sicuti id est, de quo movetur quæstio, & ex quo Corporis cujusdam politici, cæterorumque Membrorum uno in nonnullis casibus excepto securitas dependet, ad Jus suis limitibus circumscriptum, quale à parte Hispaniaë supponitur, congrua dari potest illatio. Idque non rarò statui potest contra Jus commune, ac etiam contra privatorum commodum, ut totum conservetur, unde & speciem quandoque iniquitatis præ se ferre videtur, quæ rependitur tamen publicâ utilitate.

Dato tamen, & non concessa &c.

Ad Quintum.

ELectores, Principes, alique Imperii Status maturè perpenderent qualis naturæ sint mutationes, quibus Circulus Burgundicus obnoxius est, quænam extent earum principia & causæ, nec non facilè apprehendent privatam Hispaniaë utilitatem Imperii rebus semper antepositam fuisse: Proindeque longè disparem esse

Pensent æqui rerum Judices &c.

esse rationem inter præactum Circulum & alios, qui propriae suae conservationi tantummodo invigilantes, iisdem, quas patitur Circulus Burgundicus, vicibus subjacere nequeunt.

*Constat in
super Sc.*

In quam utriusque Coronæ earum perturbationum rejicienda sit culpa, dijudicent ii, quibus partium consilia & actiones non ignota sunt, videantque, utrùm Christianissimi Regis in vindicandas Serenissimæ Conjugi Suae justissimo titulo acquisitas in eodem Circulo & ab Hispanis usurpatas Ditiones, propositum vel cum fundamento improbari possit.

Ad Sextum.

*Imbecille
admodum
est argu-
mentum
Sc.*

PAlàm fecit Christianissima Sua Regia Majestas, de Juribus Imperio competentibus ne vel minimum, quid detrahi Suam mentem nec esse nec futuram, dum eorum, quæ Christianissimæ Reginae legitimo successionis Jure in dicto Circulo obvenerunt, statuit adire possessionem. In quo autem consistat ea argumenti imbecillitas, uti pars adversa prætendit, non rectè percipitur; cùm in vim hujus declarationis nihil inde Imperio decedit, nec vel minimam patietur jacturam: Minus opus Christianissimæ Suae Regiæ Majestati ullo prætextu in causa tam clara & liquida, pro qua ipsa militat justitia, suasque partes constanter tuetur.

*Præterea
nemo non
videt, Sc.*

Tam evidenter hic punctus in Scripto, jussu Regis Christianissimi publicato ac universæ Christianitatis Potentatibus communicato, elucidatus perspicitur, ut de hoc pluribus hinc agere non ducatur operæ pretium.

*Quam qui-
dem renun-
tiationem
Sc.*

Verum est, emanatam ex parte Galliæ declarationem; quòd Christianissimæ Suae Majestatis intentio non fuerit, Circulum Burgundicum invadere (subaudiatur nimirum injustè, quod & hodiernum adhuc in diem firmissimè asseveratur.)
Quan-

Quandoquidem in hoc passu Rex Christianissimus non invadit aliena, sed ea, quæ Sibi competunt in dicto Circulo justissimo titulo, repetit; prout inquit Grotius: *Si quis non aliena cupiat, sed sua postulet, atque iis non impetratis arma sumat, id omnium confessione æquum est.* Et alibi: *Tunc utile solum est ad arma concurrere, cum locum apud Adversarios justitia non possit invenire.*

Mirum, quòd Ministri Hispanici ad Scriptum illud *Bouclier d' Estat & de Justice* provocare non erubescant, quod hætenus nec ab Ipsa Serenissima Regina Catholica nec etiam à Marchione de Castel Rodrigo agnitum aut approbatum, idque non absque ratione; Famosus iste Libellus (sicuti & alia ejusdem farinae suppositicia Scripta, quæ ad Christianissimi Regis æquissimas actiones sugillandas passim sparguntur) tot refertus calumniis ac scatens falsitatibus, unde Authores nil præter confusionem & pudorem expectare licet, & magis ad justam indignationem contra eosdem concitandam, quàm ad effectum fortè speratum inter bonos sortitundum compositus.

Confundunt hic Authores Scripti Burgundici duo, quæ invicem confundenda non erant, sed omnino segreganda. Commiscent Imperii res indiscriminatim cum Hispanicis; quoad primum, Rex Christianissimus jam dudum declaravit, Se in Hujus præjudicium nec quicquam acturum. Quoad posterius, non improbabunt profectò præfati Imperii Status, quòd Christianissima Sua Regia Majestas utatur potentiâ à Deo Sibi desuper concessâ ad restituendum Reginae Status, qui Ipsi injustè denegantur & detinentur. Iteratò declaratur, quam-

H primùm

primū omnium altissimè memorata Sua Majestas in quietā horum Statuum erit possessione, sive mediante compositione, quam sincerè desiderat, sive Numine propitio justum hoc coeptum successu gaudeat prospero; Ipsam nec quicquam intermissuram ad adimplenda religiosissimè ea, ad quæ Princeps præactorum Statuum Imperio obligatus habetur. Explicatio hæc serviet loco Responsi in duobus punctis subsequen-
tibus.

*His omni-
bus ad æ-
quam tru-
tinam re-
vocatis &c.*

Non desideratur ex parte Gallia, ut hic ineatur ratio sup-
petiarum à Regibus Catholicis Circuli Burgundici intuitu Im-
perio laterum; quandoquidem si funditus examinentur hu-
jusmodi auxilia, deprehendetur, ea Imperatoribus ut Con-
sanguineis, & ex una eademque Familia oriundis, rarissimè
verò, & rectiùs loquendo nunquam ipsi Imperio subministra-
ta fuisse: Constat, quòd etiam, hujus Circuli consideratione
remotâ, ad hæc semper contra irruptiones Turcicas fuerint
obstricti pro bono Christianitatis communi & ad conservatio-
nem & defensionem propriæ suæ Familia ejusve Ditionum
subinde periclitantium. Si æquâ lance ponderentur subsidia
à Regibus Christianissimis, ea imprimis à Sacra Sua Regia Ma-
jestate in Hungariam novissimè transmissa, & illa, quæ ex
parte Hispania oblata fuerunt, (licet hæc vice non apparuerint)
credibile est, prævalitura hæc, unde Imperatori & Imperio nec
non Universis Principibus Christianis, (absit jaçantia dictis,
neque isthæc extorta commemoratio in exprobrationem ver-
tatur) tantum accessit utilitatis.

*Ut patet ex
actu solenni
&c.*

Avidè expetitur ex parte Gallia copia istius actus solennis
ad Imperialem Cancellariam Moguntinam relati, ex quo Trans-
actio Augustana denuò corroborata conspiciatur, difficile siqui-
dem persuaderi potest, in præjudicium vel contra tenorem In-
strumenti Pacis Monasteriensis, quid actum aut receptum esse,
& in-

& in super etiam, si Scriptum aliquod privatum fortè monstretur, documento tamen authentico derogare nequit, de quo ulterior ex parte Regis Christianissimi, viso primùm actu suprà citato, poterit dari explicatio.

Facilè conceditur, & per se Juris non est incogniti, ut is, *Memine-*
 qui sentit onus, sentiat & commodum, & qui in onerosis concur- *vint item*
 rit, in uno Corpore, gaudere pariter debeat omnibus privilegiis *prædicti*
 ac emolumentis, de quibus reliqua Membra participant, sed *Imperii*
Status &c.
 hæc Regula applicari nequit ad casum præsentem, cùm inter
 Imperium & Coronam Hispaniæ nulla intervenerit Trans-
 actio, & differentiæ hodiernæ purè sint inter Galliam & ante-
 dictam Coronam, ut suprà aliquoties demonstratum. Qui-
 bus facillimè evincitur, Regem Christianissimum non agere
 contra Circulum Burgundicum in his, quæ Imperium concer-
 nunt. Hinc nullâ ratione ab Hispanis hujus Circuli respectu
 ullum exigitur subsidium, minùs conqueri potest, quòd talis
 Contractus, illa scilicet Transactio, quæ suis coarctari debet ter-
 minis, Leoninam sapiat societatem.

Dubitare summopere liceret, Hispaniam ad quaslibet oc- *Hinc fit, ut*
 casiones Imperio præstò futuram: Econtra Imperium reciproca *qui contra*
 pro arbitrio passim Eidem exhibere auxilia nequaquam tene- *omnes &c.*
 tur. Omnes Conventiones, etiam strictissimæ, sunt certis cir-
 cumscriptæ limitibus, quos transilire nefas. Bona fides, justitia,
 & salus publica, semper debent esse principia & objecta
 contrahentium primaria. Proindeque cùm à parte Electorum,
 Principum cæterorumque Imperii Ordinum Transactioni Au-
 gustanæ, ob plurimas totiesque repetitas rationes per Instru-
 mentum Pacis derogatum fuerit, Hispanis intuitu ejusdem Cir-
 culi contra Christianissimum Regem jure merito nequeunt sub-
 venire, neque Ipsos ad id movere potest politica ratio, quæ si
 rectè perpendatur ad Christianissimi Regis causam plus fa-



ciet quàm nocebit, in quo, si opus foret, uberior explanatio non difficulter dari posset.

*Cum enim
Rex Chri-
stianissi-
mus &c.*

Remonstratum sufficienter, quòd Rex Christianissimus non petat hostiliter, quæ Imperii sunt, & satis etiam perspicere potest, quòd propius non accedat, quàm nunc est, se in possessionem mittendo eorum, quæ ad se legitime spectant in Belgio. Et si hæc ipsa vicinitatis ratio attendenda, momentisque suis omnium judicio libranda esset, existimatur, minus sibi timendum ex parte Gallia, quæ jam à pluribus seculis perfectissimam cum Imperio coluit amicitiam, quàm ab Hispanis, quorum propriae aut ejusdem Familiae Ditiones magnam Imperii partem suo ambitu complectuntur vel etiam tangunt. Et insuper inquit Grotius: *Adversus incertos metus ab innoxia cautione, non à vi presidium petendum est.*

*Necesse est
itaque &c.*

Speratur ex parte Regis Christianissimi, Imperii Status omnes & singulas rationes æquissimas Regiæ Sacrae Majestatis nomine Iphis representatas dignè consideraturos, ut & officia sua erga Hispania Coronam efficaciter interposituros, ad disponendam eam, quò Christianissima Sua Majestas justam & cum justissimis prætensionibus adæquatam consequatur satisfactionem, & his mediis inibunt rationem compositionis partium Juribus convenientem, unde suam Imperium stabilitam tranquillitatem obtinebit, certi nimirum, Christianissimam Majestatem illuc semper se planè inclinatam exhibituram, omnemque in effectu demonstraturam pronitatem, quæ à Rege verè Christianissimo, Generosissimo, Justissimo, summèque Pacifico expectari poterit.

Rogantur tandem Imperii Status, ut ea omnia, quæ re-
vò & nunc Iphis Christianissimi Regis nomine exposita fue-
runt,

runt , placidâ mente velint interpretari , & ne malè habeant rationes à parte Galliaë aut nimum percursoriè forsan , brevitatîs causâ adductas , vel pluries quod verisimilius est repetitas aut potiùs extortas. Dedit Ratisbonæ die 7^{ta} Septembris Anno 1667.

*Reverendissimorum, Excellentissimorum ac
Amplissimorum Dominorum Legatorum,
Consiliariorum & Deputatorum, Domi-
norum honoratissimorum*

ad omnia officia paratissimus

ROBERTUS de GRAUEL, Regis Christianissimi Plenipotentarius.



QK 7 n 8/9

W
V 17



4
 dum esse dux
 fert rationer
 Circu
 comprehend
 perii advers
 actione Aug.
 Provincias E
 conservatio
 Sacri Roman
 dem, & sicut
 conservanda
 Judice
 invenire del
 mento super
 titudinem se
 num maxim
 tinetur, poss
 transactionu
 cari & exam
 tricis & diffic
 bus extricare
 Idem i
 riensis Pacis
 Imperii sanc
 fundamenta
 ticulum I 17
 ne admittan
 quocunque
 medium add
 Certum c
 aboleri om
 nes Imperii,
 in eo pars co
 cari nequit,
 cum & Impe

s hanc primò ad-
 Imperii Membrum
 Sacri Romani Im-
 liquet ex trans-
 rium promittunt,
 ectione, custodia,
 m Romanorum &
 us & juribus ejus-
 erii defendendas,
 i hæc ratio locum
 steriensis Instru-
 m figere, aut cer-
 ittere possit, aut
 nstrumento con-
 lam antiquarum
 um eadem appli-
 ciendum esset, iis
 icaretur, ex qui-
 um sit, Monaste-
 & pragmaticam
 , ac alias Imperii
 advertam ad Ar-
 constitutum est,
 exceptiones sub
 eæ inveniri & in
 Tractatum non
 es & constitutio-
 n econtra major
 n dubium revo-
 es bonum publi-
 z ad extinguen-
 dum.

